... emptus

Ao 1612 d 2 Marty

GENERE, VIR-
TVTE ET DOCTRINA
ORNATISSIMIS VIRIS,
D. Petro De-Lespier,
Nec non
D. Arnoldo Schanternell,
Fautoribus & amicis summa obser-
uantia colendis.

Pr. Errario Camalo in Insula Vigrensi

SIGISMVNDVM *Imperatorem*, Viri Ornatissimi, *dicere solitum aiunt: Sapientes eos sibi videri, qui aliorum in se dicteria & scommata æquo animo accipere Ingeniosos vero, qui vel lacessiti, eadē dextre in alios regerere, vel pro re nata, cōmode ac mo-*

deSte ijs vti possent. Quamuis enim omnis sermo animi quodammodo index sit: mirum tamen est quomodo in eiusmodi siue iocose siue serio dictis aut factis, & ingenium, & omnes affectus sese propalam ac quasi nude ostendant. Ac tanto sane maior hic abhibenda cautio est, ne tam facetus quis esse velit vt ridiculus, aut plane etiam scurra euadat; aut dum vndiquaque ludendi siue argutandi captat occasionem, amicum potius, vt dici solet, quam bonum dictum perdat. Vt enim vrbane & lepide dicaces homines amamus; ita mordaces quosque vehementer auersamur. Est suus cuique næuus; quem si tangi sentiat, non minus quam ad vlceris contactum dolet. eoque prudenter Macrobius præcipit,

cipit, ijs salibus vtendum, qui nullum ei in quem luditur, ruborem incutiant: quod tamen de ijs intelligendum à quibus nullo modo læsi aut provocati sumus. At ferientem quis non referiat? dicto, inquam; de facto nihil disputo. Vatinius in distorta sua crura ipse vltro iocari fertur solitus, vt Ciceronis effugeret dicacitatem: eodem modo licere opinor, ad aliorum auertenda scommata, fœnum, quod dicitur, in cornu ostentare. Et hoc vnum est dicteriorum genus, infimum illud quidem, & non nisi quādo necesse fuerit vsurpandum, quo scilicet tuemur nos magis, quam docemus alios aut oblectamus; plebeijs etiam & indoctis notum. Alterum, idque præstantißimum, Philosophis siue Sapi-

entibus quasi proprium est, quo nempe vel salubre aliquod praeceptum facetis & in speciem pugnantibus ac plane absurdis verbis involuitur, aut res alia grauis & seria ridiculo quodam modo insinuatur: qualia fere illa sunt quae vulgatis illis Graeciae septem Sapientibus adscribuntur: nec non Prouerbia, Sententiae, insigniter dicta factaque, ad Principum & multis atque arduis negotijs occupatorum hominum vsum accommodatissima, quibus scilicet multos libros evoluere non vacat. In his talibus colligendis Erasmus praeclaram litterariae Reipublicae nauauit operam, edito APOPHTHEGMATVM libro: qui quod minus adolescentium litteris initiatorũ manibus teratur, saepe-

numero

numero miratus sum, vt qui præter multiplicē rerum vbertatē (etsi falce adresecāda tam superflua quam putida quædā opus esse non nego) verbis etiam, vt illius auctoris omnia, multo quā scioli nōnulli putāt, elegantioribus sit contextus: nisi forte illa caussa sit, quod pleraque eiusmodi sint vt nō nisi ab acuti ingenij hominibus penitus intelligātur. Sicut enim qui insignem artificis manum in tabula aliqua aut quocūque opere deprehēdere velit, non per transennā, & quasi prætериens aspiciat, sed consistat aliquādiu & defixis oculis omnia lineamenta ac partes cōtēpletur necesse est: ita ex his quoq; dictis qui verborū tantū corticē lābere, ac nō rerū ipsarū medullā velit educere, parū vtilitatis sit percepturus, vnde nihil mirū

quod lepidissime aliquando dicta, nonnullis frigida videntur. Licet autem tanto melius vnumquodque dictum existimandum sit, quantum ad mores formandos aptius est atque efficacius: tamen neque illa aspernanda censeam, quæ ad nihil aliud quam ad risum mouendum sunt accommodata. Quis enim tam austeris aut tam seueris est moribus, quin aliquando frontem explicandam mentemque exhilarandam sibi putet? Notum est quàm rigidis institutis Lycurgus olim Rempublicam suam formarit: idem tamen liberales iocos ciuibus non modo indulsit, sed etiam Risui signum siue statuam collocauit, illud scilicet innuens, curis interdum relaxandum animum, & quod Plato Xe-

nocratem monuisse dicitur, Gratijs aliquando litandum. Quin & Cleomenes, qui & mimos, & psaltrias, & tibicines in Republica minime ferendos censuit, illud tamen probauit, vt liberalibus iocis ac salsis dicterijs ciues inter se certarēt. Exempla non addo grauissimorum tum è Paganismo tum è Christianismo virorum, vt Socratis, Catonis, Iulij Cæsaris, Augusti, Ciceronis (qui in hoc genere nimius multis visus est) Ambrosij, Augustini, Hieronymi, & aliorum complurium: quum multa ab ijs argute ac lepide tam dicta quam facta perhibeantur, quæ passim legere cuivis in promtu est.

Ceterum non abs re mirum alicui videri possit, quum ætas nostra nondum effeta, præstantissima

 omnem

omnem in partem ingenia produxerit, quorum multa non minus sapienter, grauiter, vrbane ac facete quam quorumvis antiquorum dicta ac facta exstant, cur plerique tamen ad vetera illa APOPHTHEGMATA adhæreſcant, ea sola in delicijs habeāt, ac nocturna ac diurna manu verſent. Equidem de meo ſenſu vt verum fatear, valde me quidem Socratis vrbanitas, mordacitas Diogenis, Ariſtippi lepos, &c. oblectant: neſcio tamen quomodo ea iucūdiora ſunt, quæ à noſtra memoria propius abſunt, illa vero iucundiſſima, quorum cum memoria eius ſimul à quo illa profecta ſunt, memoria refricatur, ac notitia occurrit. Eā ob cauſam ſæpe optaui exſiſtere aliquem qui, quæ poſſet, à noſtri tēporis

ris hominibus libere, salse, facete, aut ridicule etiā dicta vnum in fasciculum colligeret, & tam nobis quam posteris cōmunicaret. Fecerūt id Itali aliquot sua lingua; sed, si verum fateri velimus, delectu minus accurate habito. Vt enim non pauca nimis frigida taceam: quam multa passim non inurbana tantū, sed putida etiam & obscœna offendas? De ijs qui nostrati lingua consimilia prodiderunt dicere supersedeo, quod ea qualia sint libri ipsi loquantur. Latino quidem sermone, præter vnum & alterum pauci hoc argumentum persequuti sunt. Tanto ergo lubentius laborē hunc suscepi, & quædā hinc inde sparsa, & varijs linguis, sed Italica inprimis edita, hunc in libellum

bellum

bellum collegi, EPIDORPIDVM *indito titulo, quod festiui homines post prandium aut cœnam eiusmodi iocis siue obambulantes, siue stantes, aut etiam sedentes, oblectare se soleant.*

Hunc meum qualemcunque conatum & laborem, VIRI ORNATISSIMI, *vobis consecrare volui, multis de caussis. Vterque enim in florida estis ætate constituti: qualem libellus hic, non tetricum capularem senem, lectorem desiderat. Sed ad quem potius (quale hic si non habet præfert tamen) amœni argumenti libellum, quam ad vtrumque amœnissimis moribus præditos, mittam? Equidem iamdudum,* LESPIERI Ornatissime, *non vulgarem tuam eruditionem à fide dignis prædicari audiui, tum* quan-

quantus sis elegantiorum artium admirator atque amator, certis indicijs cognoui. De insigni vero humanitate morumque facilitate quid dicam? qua omnium eorum qui vel paullulum tecum vixerint, pectora ita tibi adglutinas, vt auelli à te non poßint. Meum Jane post vnum & alterum non tam congressum quam conspectum, animum ita rapuisti, vt prius quam eum aliquo modo testatum tibi facerem quiescere non potuerim. Sed & tua, Schanternelli Ornatissime, *eximia virtus & doctrina, & multis modis perspecta comitas, facile mihi persuaserunt, etiam Nugas has meas non omnino ingratas tibi fore: quas vt à rusticitate non excuso, ita credo si ornatiori paullo habitu*

postmo-

postmodo prodeant (quod quidem distractis hisce exemplaribus futurum non despero) amasium non neminem inventuras.

Quod ergo superest, Viri Ornatissimi, *affectum hunc erga vos vestrasque virtutes meum, & arrabonem eius, opusculum hoc, duos scilicet* Epidorpismatum *libellos, hilari fronte suscipite: quos si vestro palato non ingratos fuisse, & Lectori saliuam aliquam mouisse intellexero, Vberiori* CONVIVIALI APPARATV, *cum Deo, post hæc vos excepturum me confido: sed, ne erretis, meris, logis, Atticis, Siculis, id est, facetis, infice tis. Interim cum communi nostro amico*, D. Henrico Bilderbequio *(quem honoris caussa hic nomino) partim cognatione partim amicitia*

amicitia vobis coniunctissimo, singulari meo patrono, his fruimini, meque in extrema saltim amicitiæ vestræ linea hærere patimini. Coloniæ ipsis Calendis Martijs Anni MDCXII. quibus, vt scitis, Romani qui ab ijs annum auspicabantur, strenas & munuscula sibi inuicem mittere solebant.

VV. Nobil. & Hum.
obseruantissimus

GASPAR Ens L.

Ad Lectorem.

SVnt bona; ſunt quædam medio-cria: ſunt mala multa.
Qui legis hæc, aliter non fit, amice, liber.

Ad Zoilum.

Quid frontem caperas? quid ſtringis, Zoile, dentes?
Multa ſcio carpes quam capies citius.

GASPARIS ENS EPIDORPIDVM LIBER I.

ILLVSTRIVM QVARVNDAM PERSONARVM Sapienter, Graviter, Vrbane dicta & facta continens.

Animi tranquillitas vnde petenda.

AVGVSTINVS Valerius Veronensis, triũ rerũ aspectum animi sibi tranquillitatem afferre dixit. Primo, oculos ad cœlum, Dei templum, æternæ felicitatis sedem, & beatorum patriam, cuivis partem habere cupienti expositam, eleuando. Secundo oculos in terram defigendo, cuius tantilla ad capiendum corpus portio sibi olim satis futura sit. Tertio, ad innumerabilem hominum turbam, quorum omnium conditio suâ multo peior videatur, oculos retroflectendo. Aureum profecto dictum!

Paradoxa quædam spiritualia.

B. AEgidio hæc Paradoxa adscribuntur.

Si aduersarium velis vincere, fac ab eo vincaris. Aliter enim si facias, vbi iam vicisse te existimabis, mox victum te senties.

Si bene videre velis, oculos tibi effodito.

Si bene audire cupias, aures obtura, & surdus esto.

Si bene velis loqui, linguam abscinde, & esto mutus.

Si opus bene velis facere, manus tibi amputa.

Si membris omnibus sanis & integris vti velis, ea abijce.

Si bene velis viuere, te mortifica.

Si bene velis edere, ieiuna.

Si bene quiescere, vigila.

Si multum lucrari, stude perdere.

Quæ quamque ætatem, ordinem, sexum deceant.

IAcobus Almansor Africæ & Hispaniæ Rex, sequentia dicta throno suo regio inscribi iussit.

Sex præcipue sunt homine digna.

Primum est *Iustitia*; quæ primum in *Rege*

tenet

tenet locum.

Secundum est *Charitas*; quæ *diuitibus* maxime conuenit.

Tertium est *Patientia*: & hæc *Pauperum* est propria.

Quartum est *Castitas*: præcipuum *Iuuentutis* ornamentum.

Quintum est *Mundi contemtus*; estque apud *Sapientes*.

Sextum est *Pudor*: vnicum *Muliebris sexus* decus.

Ab altero latere adscriptum erat:

Rex sine Iustitia, est quasi nubes sine pluuia.

Diues Charitatis expers, similis est arbori infrugiferæ.

Pauper Impatiens est instar fluminis aqua carentis.

Iuuenis in quo non est Castitas, est tamquam lucerna sine lumine.

Sapiens qui Mundum non habet contemtui, ceu sterilis est ager.

Mulier sine Pudore; est veluti cibus sine sale.

Liberalitas Virtus Principe dignißima.

IDem Almanſor à patre admonitus, vt liberalitatem paullum reſtringeret: quod profuſis & conſumtis opibus, Princeps etiamnum viuus pro mortuo habeatur; At mihi, inquit Almanſor, auarus potius Princeps, mortuus videtur: vt qui amicis omnibus deſtitutus, ingloriam & inuiſam pleriſque agat vitam. Et in eum quidem finem nati ſunt Reges, alijs vt benefaciant, Deum creatorem imitantes, tam larga manu quotidie innumera beneficia hominibus diſpenſantem.

Idem nullum pauperem Regem inueniri aiebat: quod ſi quis talis ſit, prauo & degeneri animo adſcribendum. Et quemadmodum ab Oceano, quò influunt, rurſus exeunt flumina; ita ſubditorum in Principes collata bona, per liberalitatis riuulos in homines benemeritos, aut beneficijs dignos rurſus diſpergenda.

Aut dandum aut negandum cito.

A Ludouico XI. Franciæ Rege aulicus neſcio quid petierat, Rege extem-

plo fieri id posse neganti, idem gratias quam maximas agit, ac discedit. Rex hominem sermonis falsum existimans, reuocat: an responsum bene intellexerit, rogat. Negasti, puto, inquit ille. Tum Rex: Cur igitur gratias mihi egisti? Annon gratias, inquit alter, merito agam, qui & sumtus, & tempus, quæ, inanibus promissis lactatus, frustra hic consumturus fueram, lucratus mihi videor; iamque animum fastidiosa exspectatione misere alioqui macerandum, aliis consiliis & negotiis libere applicare queo. Rex ingenium hominis miratus, Faciam, inquit, vt duplici nomine gratias mihi debeas: ac simul voti compotem à se dimittit. *Bis dat, qui cito dat; cruciat, qui differt.*

Geminum huic plane est quod nostro tempore quidam euenisse produnt. Ad aulam Philippi II. Hispaniarum Regis, Eques quidam Aragonius negocij sui caussa venerat; & iam hos iam illos Regis domesticos ac Consiliarios prensans, vtque suam apud Regem caussam agerent obsecrans, vbi nihil nisi meram spem & verba sibi dari intellexit, Regem ipsum ipse adire constituit. Opportuno igitur captato tempore, Regi ad sacrum è cubiculo prodeunti, negocium ac

Liber iste Antuerpiæ emptus A.D. 1612 2 Maij

petitionem suam,in genua provolutus, exponit. Abnuente Rege, supplex ille genua eius exosculatus,alacris ac læto similis exsurgit, & gratias quamhumillimas agit. At tu,inquit Rex,scias,nihil eorum quæ petijsti, futurum. Eam ipsam ob caussam, excipit alter,gratias tibi,Rex optime,habeo,quod vno hoc verbo sexcenta ministrorum tuorum, vnum ex alio caussantium, mendacia refutasti:quod si initio audijssem,equidē & multorū mensium sollicitudine cariturus,& sumtibus non exiguis parsurus eram. *Satius est ipsum adire Dominum,quam proxenetis siue conciliatoribus fidere.*

Quodnam sit optimum collyrium.

QVum inter doctos quosdam viros, præsente Friderico Aragoniæ Rege, sermo de ijs rebus quibus videndi sensus plurimū acueretur,incidisset, & alius hoc alius aliud afferret:Sānazarius non minus prompti quam elegantis ingenij homo, optimum oculorum remedium *Inuidiam* sibi videri dixit. Mirantibus cunctis,Quid vos, inquit,nescitis, Inuidis aliena omnia maiora apparere?subiecitque hos Nasonis versiculos:

Fer

Fertilior seges est alienis semper in hortis,
Vicinumque pecus grandius vber habet.

Diuitiæ calumniijs expositæ.

FRidericus III. Imperator Romani proficiscens, per Florentiam facto itinere, conspectis supra priuati modum magnificis Cosmæ Medicis ædibus, exclamasse fertur: O quam multas iniurias & calumnias harum dominus perferre necessum habuit. Siue id innuens, diuitias quæ plerumque malis artibus comparantur, & inuidiæ & calumniæ telis vt plurimum esse propositas: vel potius id, ei qui ditescere velit, multas iniurias mussitandas & quasi surdis auribus accipiendas. Scitum est illud Tyrannicum: *Oderint, dum metuant*; at Euclio aliquis dicet; *Calumnientur, dum habeam*. Tacitus: *Mortalibus natura insitum est, recentem aliorum felicitatem ægris oculis aspicere.*

Rem facere aut seruare cupienti quæ vitanda.

COmpendiariam ac certam peculij tam augendi quam tuendi rationem quidã commõstraturus, quinq; fugiẽda dixit,

Feminas scilicet, Conuiuia, Securitatem, Lusum, Inertiam. Sed horum omnium maxime dispendiosam esse Inertiam. Vulgatum est:

Ædificare domos, & pascere corpora multa,
Ad paupertatem lato dabit ore fenestram.

Iræ moderandum.

FLorentiæ in Senatu res magni momenti disceptabatur. Ibi homine quodam tribunitio multa Cosmo Medici obganiente, ac multa in eum indigna dicente, Angelus Acciaiolus ita exarsit, vt blateranti illi iamiam colaphum impacturus fuerit, nisi strictam ei manum Cosmus retinuisset. Dimisso Senatu, Acciaiolus, Profecto, inquit, sine te fuisset, vapulasset ille vtique. Ad hæc Cosmus: At scin, quid tum futurum fuerit? nimirum vnus nostro in concilio stultus fuerat; si tu hoc quod intenderas fecisses, duo scilicet futuri erant. *Stultum feras potius quam corrigas.*

Humanitatis exemplum.

EQuitem Neapolitanum Alphonsus Rex arcibus quibusdam & officijs præfecerat: quo morbi vi ad animi impotenti-

tenti-

tentiam redacto, statim quamplures Regem adeunt, pro se quisque miseri illius officia & bona, quibus superesse ille nō posset, petunt. At Rex, Mihi quidem, inquit, crudele admodum videtur facinus, cui aduersa fortuna animi valetudinem abstulerit, eidem fortunas corporis præsidium, auferre. Nempe, *Afflicto non est addenda afflictio.*

Principum commiseratio.

GAspar Schlickius optare solebat, vt nemo Principum esset quin priuatam aliquando vitam vixisset, & paupertatem degustasset: siquidem miseri vix misereri potest qui ipse miseriam nullam vmquam sensit. Hinc de se apud Poetarum principem Dido:

Non ignara mali, miseris succurrere disco.

Iniuria à quo facile condonetur.

NOn minus verum quam scitum est illud Emanuelis-Philiberti Sabaudiæ Ducis: Eum qui acceperit, iniuriam aliquando condonare; qui fecerit, numquam. Ideoque *Inimico reconciliato non est fidendum.*

Modus rebelles placandi.

LVdouicus XI. Franciæ Rex, frequentibus suorum conspirationibus petitus, & apertis denique seditionibus vexatus, à Franciscos fortia Insubriæ Duce, auxiliũ petijt: quod ille præualidum misit, & tutum insuper consilium adiunxit, vt scilicet quæcumque postularent rebelles, Rex concederet, ea tamen conditione, vt subditi manerẽt. Consilium hoc tutum magis an honestum sit alijs disputandum relinquo: multos Principum eo non vsos, nec vsuros forsan, certum habeo: etsi *Furentibus cedendum esse*, Sapientes non frustra monuerunt.

Quæ facta, facilia factu videtur.

IN conuiuio quodam, præsente Christophoro Columbo, eo qui primus Nouum Orbem nobis detexit atque aperuit, Hispani quidam Equites, peregrino, credo (Ligur enim Columbus fuerat) tantam laudem inuidentes, nihil singulare ab eo præstitum dixere, & quod non quiuis, rebus ad hoc necessarijs instructus, præstare potuisset. Subridens Columbus, ouum è patina sumit, & deposito, inquit, pignore, vobiscum certare au-

sim,

ſim, neminem inter vos eſſe, qui ouum hoc vt ſine vllo fulcimento rectũ ſtet, efficere poſſit. Fruſtra ab omnibus facto periculo, idem oui mucronē leniter menſæ impingit, eoque ſubſidente, ouũ rectũ ſtatuit: hacque ratione omnes piſce magis mutos in ruborem dedit, Ῥᾷον μωμεῖσθαι ἢ μιμεῖσθαι. *Facilius eſt carpere quam imitari.*

Quæ maxime firma.

PEtrus Fracanus medicus Peruſinus, inter res inanimatas tria hæc maximam vim ac robur habere, dicere ſolebat: Suſpicionē ſcilicet, Ventũ, & Fidē. Primũ nunquã eo ingredi vnde poſtmodũ ſegregari poſſit. Secundum eò non intrare, vnde exitus nō pateat. Tertium vero à quo ſemel diſceſſerit, ad eumdem numquam reuerti.

Suſpicionis vis in Principatu.

IN rebus quidem ad Regnum aut Principatum pertinentibus, Ferdinandus Albæ Dux ſuſpicionem probationis locum ac vim habere dicebat. Durum profecto auditu verbum; at ipſo ſenſu & experientia longe duriſſimũ. Neq; enim minus in his quam alijs in rebus Suſpicio ſæpe vana eſt, & falſa: Immo tanto falſior, quanto Principes

maiori zelotypia, quam priuati homines, vtplurimum laborant. Equidem tam ex veteribus quam recentioribus historijs innumera pæne exempla proferre possim eorum qui aut falsis suspicionibus oppressi perierunt; aut diu cum calumnijs luctati, vix tandem prodente se rei veritate, emerserunt. Nostrati prouerbio *Suspicionem nequam* esse dicimus, quod tam facile de insonte quam sonte concipiatur.

Principes imperij alieni impatientes.

SEbastianus Lusitaniæ Rex, tam erat omnis alieni imperij impatiens, vt diceret, Si suaipsius interula quidquam sibi præcipere vellet, eam se, immo seipsum continuo flammis aboliturum. Idem nihilominus ab impotentis ingenij adolescente Ferdinando Gonzales pro lubitu circumagebatur. Nempe, vt Seneca dicit, *Omne sub regno grauiore regnum est.* Et Principes quidem populis; at assentatores Principibus plerumque imperant.

Parrhesia Consiliariorum Principibus salutaris.

Anglis

ANglis in Gallia,cuius iam magnam partem occupauerant, bellum gerentibus, Hira strennuus militum dux,ab exercitu ad Carolum VII. Regem missus fuit,vt exercitui necessaria peteret, & Regem de toto rerum statu edoceret. Post multorũ dierum exspectationem tandem ad Regem introducitur,totum tum gynęcei,saltationum,conuiuiorum ac eiusmodi delicijs occupatum. Rogatus ecquid ista omnia magnifica sibi viderentur? Equidem, inquit Hira,non memini, me vidisse vllum alium Principem,maiori pompa & tripudio pereuntem. Tam libero responso ictus Rex,tum demum quasi è longo veterno euigilare cœpit,ac repudiatis delicijs, omnes cogitationes ad regnum ab hostibus vindicandum conuertit. *Non quod placet, sed quod expedit dicendum.*

Ministri magistri.

MErcurius Cattinara,magnus Caroli V Imperatoris Cancellarius,nec precib.nec vllo certę indignationis metu induci potuit, vti transactioni inter dominum suum & Franciæ Regem subscriberet;auctoritate ab Imperatore sibi concessa,mini-

ſa, minime ad res eidem damnoſas abyſurū ſe dicens.

Eadem & magis iuſta conſtantia Antonius Pratenſis, magnus Franciæ Cancellarius, federis inter Regem ſuum & Solimanum Turcarum Imperatorem initi capita, manus ſuæ ſubſcriptione confirmare recuſauit, quod totum hoc negocium & ad Regis & ad vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ ignominiam & damnum pertinere iudicaret. *Ita ſcilicet Regi inſeruiendū, vt ne Regno noceas.*

Quis optimus miniſtrorum Aduocatus.

IOuiano Pontano Ferdinandus Neapolis Rex, Alphōſo Calabriç Duce, Regis filio, multum diſſuadente, munus aliquod arduum demandarat; & non minus inuitum, vt illud ſuſciperet, tandē perpulit. Tū Pontanus, Munus, inquit, ô Rex, quandoquidem ita omnino vis, non detrecto; id tamen ita geſturū me profiteor, vt nec tuā indignationem, nec aduerſus filium indulgentiam valde ſim reformidaturus: ſiquidem contra vtrumque, & quasvis obtrectationes optimum Aduocatū mihi adducam. Sermonis inſolentiam miratus Rex, Quiſnam ille Aduocatus eſſet, quærit.

rit. Paupertas, ô Rex, Pontanus inquit. Et sane in magistratu incorrupti animi & puræ manus non leue argumentum est inopia, & contra quosvis calumniæ ictus scutum optimum: econtra vix video quomodo ij qui in officijs constituti, paruo temporis spacio (quales multi passim sunt) ingentes diuitias congerunt, à rapinę, vel vt leuius dicam, δωροδοκίας crimine sese vindicare possint.

Vir officio, non officium viro quærendum.

ALexander Seuerus Imperator non vltro ambientes, sed inuitos & reluctantes publicis officijs præficere solebat; tantum abest, vt quod hodie pessimo more nonnullis in locis vsitatur, plus offerenti vẽdiderit. Aiebat enim, nihil mirum si qui munus aliquod emerint, idem rursus vendant, id est, vænalem Iustitiam habeant. Notus est ille versiculus:

Emerat ipse prius, vendere iure potest.

Munerum acceptatores & impostores quomodo puniendi.

IDem Vetroniũ Turriũ operã suam acceptis muneribus ijs qui à Cæsare aliquid petere volebant, large promittentẽ, sed plerosq; inani spe decipiẽtẽ, palo alligatũ, fumo

necari

necari iuſſit, cum elogio: *Fumo punitur qui fumos vendidi.*

Seuerum hoc; illud Gallieni Imperatoris ridiculum, qui mangonem, ab vxore accuſatum quod vitreos ei globulos pro gemmis vendidiſſet, in arenam includi iuſſit, *vt* cum beſtijs, ſicut videbatur, committeretur. Iamtam ab ipſo damnato quam omnibus ſpectatoribus horribilis aliquis leo aut aliud ferum animal exſpectabatur: quum ecce cauea emiſſus gallus gallinaceus prodit. Omnibus non ſine admiratione in riſum effuſis, præco Imperatoris iuſſu proclamat: *Impoſturam fecit, & paſſus eſt.*

Faceta homicidij, fortuito casu commiſſi, vindicandi ratio.

EX Præcelſa domo faber decidens, prætereuntem caſu ſuo exanimauerat, & ſic alterius morte vitam ſeruarat. Eum mox in iudicium vocant mortui illius agnati; homicidij accuſant, & damnari petunt. Vtriſque cauſam magna contentione agentibus, iudices tandem eiuſmodi pronunciarunt ſententiam: vt nimirum agnatorum aliquis in eum vnde ille delapſus erat locum

aſcenderet,

ascenderet, seque simili saltu in reum infra stantem præcipitaret. At nemine conditionem hanc accipiente, ille absolutus est. *Culpam præstare, non casum, homo debet.*

Lites resecandæ.

RVdolpho Habspurgensi Comiti, qui primus Imperialem dignitatem in Austriacam familiam intulit, cum Abbate Sangallensis Cœnobij valde tum potente, & alijs vicinis lis intercedebat. Captato prandij tempore, Comes Abbatem accedit, & vltroneum se conuiuam exhibet, magna cum omnium admiratione. Sublatis mensis, cum Abbate aliquamdiu colloquutus, tandem pacem facit, ac discedens, suis; *Cui tres sunt*, inquit, *lites, meo iudicio recte fecerit, si duabus compositis, tertiam tanto diligentius prosequatur*. Hoc consilium eidem vtile fuisse euentus docuit: vt cui postea prædictus Abbas bonam aduersus hostes operam nauarit.

Quantum sæpe vnus cordatus homo Reipublicæ prosit.

CArolus VIII. Fraunciæ Rex cum numeroso exercitu Florentiam ingressus,

sus, ciuibus multa intolerabilia imperarat, iamque ciuibus imperata detrectantibus, vix vlla alia ratione quam armorũ periculo res explicari posse videbatur: quod tamen vnius hominis, Petri Caponij, vnius è quatuorviris qui ad tractationem cum Rege deputati erant, virtus & audacia discussit. Is enim Secretario Regis postulata è scripto legenti, libellum è manibus abreptũ, inspectante Rege conscidit, ac dilaceratum proiecit, cum stomacho in hæc verba erumpens: Quandoquidem tam iniqua postulatis, agite vos Galli tubas vestras & cornua inflate, nos campanas nostras pulsabimus; simulque cum dicto sese proripuit. Hac inopinata hominis audacia Galli perterriti, ciuibus multo æquiores conditiones proposuerunt. Tanti scilicet est animus magnus & ad quævis intrepidus.

Sententiarum amputanda diuersitas

IN Italiam ad Insubriam occupandam profecturus Franciscus I. Franciæ rex, quum consilium hoc suum multis displicere non ignoraret, Ego, inquit ad Senatores, in Italiam ire planissime constitutum habeo. Quicumque vero ab hoc proposito retrahe-

re me ausus fuerit, non solum frustra erit, sed etiam malam à me gratiam inibit. Et hoc quidem vno ictu Rex dubia omnia & sententiarum varietatem tamquam Gordium nodum soluit, & ad expeditionem se quamprimum accinxit. *Mature deliberandum, sed deliberata cito exsequenda.*

Camillus Vrsinus, nobilis militiæ dux, Nihil aiebat in bello rebus feliciter gerendis magis aduersari quam tarditatem, siue cunctationem: quam barbaro quidem, apto tamen vocabulo, Irresolutionem dicunt.

Idem nihil minus consultum sibi videri dixit, quam vt res hodie deliberata, in sequentem diem differatur: quod interim multa accidere possint, quæ, vtpote improuisa, omnem rei gerendæ ordinem peruertant.

Negocia quomodo tractanda.

PEriphanus Ribeira Alcalæ Dux dicere solebat, Negocia difficilia tamquam facilia; & econtra facilia tamquam difficilia tractanda esse: quo scilicet nec facilitas negligentiam, nec difficultas desperationem adducat.

Humana

Humanæ ſapientiæ modus.

DIuina Iulij Cæſaris Scaligeri, viri incomparabilis, vox eſt: *Sapientis eſt, quædam neſcire velle.*

Felicitatis adipiſcendæ ratio.

SIgiſmundo Imperatori Theodoricum Colonienſem Archiepiſcopum roganti, quibus medijs felicitatem conſequi poſſet: Epiſcopus reſpondit; Fruſtra eam in hac vita quæri. Tum Imperator: At illam alterius vitæ quomodo indipiſcar? Si, inquit Epiſcopus, ita vixeris quemadmodum calculi aut alterius morbi dolore vexatus, victurum te promittis.

Quinam optimi Conſiliarij.

ALphonſus Aragoniæ Rex, quinam optimi eſſent Conſiliarij, rogatus, Mortuos, reſpondit, libros ſcilicet innuens; vt qui ſine vllo affectu verum promunt.

Idem, ſi ſtante Romanorum Republica, naſci ſibi contigiſſet, ante Curiam Ioui Poſitorio templum ſe ædificaturum dixit, vt in eo Patres Conſcripti, antequam in Senatum venirent,

venirent, odium, amorem & similes affectus deponerent.

Fridericus Imperator, conuocatis aliquando Senatoribus, Vtinam, inquit, mei Consiliarij duas res secum in palatium ne adferrent, vt & illi bene consulere, & tanto ego facilius bona consilia à malis discernere possim. Rogatus quænam duæ illæ res essent, Simulationem & Dissimulationem esse, respondit.

Sigismundus Imperator tum demum Principes in hac terra beate victuros dixit, si procul habitis superbis & crudelibus Consiliarijs, mitibus & mansuetis morigeros sese præbeant.

Franciscus Almeida nihil sceleratius sibi videri ait, quam eos Consiliarios qui non ex animi sententia loquerentur: quippe qui & contra Deum & contra Principem grauissime peccent. Contra Deum quidem, quod conscientiæ à Deo sibi datæ refragarentur, quod quidem *peccatum in Spiritum sanctum* dici possit: contra Principem vero, quod hac dissimulatione vel simulatione sæpius res eius in extremum discrimen, atque etiam exitium adducerent.

Quanta vero officij huius dignitas sit, idem

idem inde ostendit, quod Principes ad consilium paucos, eosque lectos & probatos admittant; à prœlio vero neminem reijciant aut excludant.

Superbia, stultitiæ index.

EQues quidam Mediolanensis, certis de caussis ad Florentinam Rempublicam legati nomine missus, catenam auream collo appensam, subinde mutabat siue variabat. Hanc ostentationem irridens Nicolaus Nicolinus, homo non minus nobilis quam facetus, Alijs, inquit, stultis vinciendis vna catena sufficit; huic vix plures satis sunt

Vestitus necessitati, non superbiæ seruiat.

HEnricus II. Imperator cognomento Claudus, si quando hominem adspiceret vestitu superbientem, Te, inquit, vermes; vestimenta vero tua tineæ comedent.

Rudolphus Habspurgensis Comes tam omnis in vestibus ornatus erat negligens, vt laceras etiam non abijceret, sed resartas in publico gestare non erubesceret.

Solon

Solon à Crœso superbissime amicto, & regio throno insidente rogatus, An similem ornatum vmquam vidisset: Immo, inquit, ô Rex. Pauonum enim, & psittacorum, vtpote natiuus, multo mihi pulcrior videtur.

Augustus Imperator filiarũ in vestitu luxũ acriter sæpe reprehendere solebat, inquiens; *Vestitum mollem ac insignem, superbiæ esse vexillum, nidumque luxuriæ.*

Præclare Bernardus: *Cur carnem tuam*, inquit, *preciosis rebus impinguas & adornas, quam post paucos dies vermes in sepulcro sunt deuoraturi; & animam tuam bonis fidei operibus non adornas, quæ Deo & Angelis eius præsentanda est in iudicio? Cur animam tuam vilipendis, & ei carnem præponis? Dominam ancillari, & ancillam dominari, magna equidem abusio est.*

Quamuis autem omnes homines vana superbi vestitus ostentatio dedeceàt; viros tamen & iuuenes maxime. Vnde Ouidius.

Sint procul à nobis iuuenes vt femina culti.

Mulieres vero illud Plauti in animo habeant:

Mulier nequicquam exornata est bene, si morata est male.

Quomodo

Quomodo ministri à Principibus habendi.

CArolus IX. Franciæ Rex in venatione nobilem aulicum, incaute hac illac discursantem, aliquoties inclamarat ac consistere iusserat. Quum ille minime dicto esset audiens, nec discurrendi finem faceret, Rex adequitans, hominem increpat, & simul virga percutit. Exacerbatus mirum in modum Eques, conuersus ad Regem, Ecquid inquit, tantum commerui, ô Rex, vt tamquam vile mancipium, virga cædar: eccine præmia mihi pro tot periculis & laboribus, quos tui ac prædecessorum tuorum caussa exantlaui, rependuntur? Nobilis equidem sum. ac simul cum dicto, nudato pectore, cicatrices aliquot in prœlijs acceptas ostendit. His auditis, Rex vehementer perturbatus, nec vllum verbum proloquutus, abit, ac domum reuersus, cogitabundus ac tristis, cœnat: ac tandem Carnaualleto caussam huius tristitiæ requirenti, rem omnem exponit, deque eius consilio hominem accersit, & de eo quod factum erat, modeste sese excusat, liberaliter omnia quæ vellet aut peteret, pollicitus. Ille, gratijs humilime actis, à Rege nec

petere

petere, nec quidquam acceptutum, respōdit, ne percußionis aut fustigationis preciū accepisse diceretur. Sicque domum abiens, tota deinceps vita ab aula abstinuit. Nempe *Hostem ex ministro facit, qui ingenuum seruiliter tractat.*

Et illud quidem in nobili, multorum stipendiorum & prouectæ ætatis homine minus mirum; quod sequitur, vt calidioris sanguinis ita maioris fuit periculi. Dux Niuernensis puerum nobilem pedisequum itidem virga, nescio quam ob caussam, percusserat: quam ille contumeliam (vt quidem interpretabatur) ægerrime ferens, è Ducis ministerio quamprimum sese expediuit, & in Italiam abiit. Inde post quinquennium circiter in Franciam reuersus, & Ducem in venatione solitarium nactus, Ecquid nosset ipsum rogat. Duce animi hærente, ac quid tam intempestiua sibi vellet percunctatio admirante, ille propius adequitans, nomen suum profitetur, & exprobata quæ olim à Duce sibi facta esset contumelia, Etsi, inquit, dolorem meum vindicandi mihi iam non deest occasio; quia tamē panem tuum manducaui, vitę quidem tuæ parco; facere tamen non possum quin hac veluti succidanea vltione animum aliquo modo expleam. simul cum dicto, vestem

Ducis pugione ter aut quater perfodit, additisque equo calcaribus, ocyor vento auolat.

Ingenuis nihil acerbius accidere potest quam contumelia.

CArolus VII. Franciæ Rex vnum è ducibus suis rogauerat, An & quanam re aut ratione à fidelitate tot experimentis hactenus sibi perspecta & probata, abduci posset? Me quidem, inquit ille, Rex Serenissime, vt fidem tibi datam violē, nulla vnquam vtilitas aut dignitas, immo ne centum quidem regna adegerint; quod tamē si vel semel contumeliose aliquid in me dixeris aut feceris, forsan vltro & ingratijs sim facturus. Hāc historiam ac dictum Carolus Borbonius is qui à Rege suo ad Carolum V. Imperatorem defecit, ad factum hoc suum excusandum, in sermone frequenter vsurpabat.

Quam grauiter vero homines magni animi repulsam omnem & contemtum ferant, duo superioris æui exempla ostendunt. Andream Doriam maris præfectum, rei bellicę, & præcipue naualis peritissimum, Franciscus I. Franciæ Rex verbo parum honorifico exceperat, Quid fit? Vir contumeliæ omnis impatiens

impatiens, non ipse tantum ad Carolum V. Imperatorem, Regis hostem, transijt; verum etiam, suis consilijs & opera quum Genuatium Rempublicam, tum Neapolitanum regnum, Gallorum manibus extorta, Hispanorũ partibus adiunxit.

Eodem modo quum Emanuel Lusitaniæ Rex Ferdinandi Magellani meritis non quam oportebat gratiam haberet, & menstruum ei stipendium vno scutato auctius facere recusasset: Magellanus, relicto Emanuele, Castiliæ Regibus operam suam addixit, eorumque imperium multarum insularum & ingentis terræ à se detectæ accessione auxit & locupletauit.

Muneribus publicis quinam præficiendi.

INter alia præcepta quæ Carolus V. sapientissimus Imperator regno decedens, Philippo filio dedit, & hoc fuisse dicitur: Ne penes vnum aliquem supremam vel Reipublicæ vel belli administrandi auctoritatem ac potestatem diu manere sineret: tum ne in eadẽ tribuenda præcipuã nobilitatis & potentiæ, sed virtutis & præcedentium

meritorum rationem haberet. Illud nimirũ monens, quod præclare ab AEnea Syluio dictum est (& nos quoque supra aliquid in eandem sententiam attulimus) *Dignitatibus homines dãdos, nõ hominibus dignitates*; nec ambitiosis & per se potentibus ad factiones conflandas viam aperiendam.

Quibusnam Principes potissimum fidere debeant.

HEnricus Castiliæ Rex, cognomento nothus, cruento admodum contra Petrum regem bello gesto, morti vicinus, filio successori per Episcopũ mandasse dicitur: In regno tria hominum esse genera, quorum hi suam, illi Petri Regis, tertij vero neutram partem aut factionem sequuti sint. Primis quidẽ velle vt dona & quidquid à se collatum, ratum esse iubeat, nec tamen plane ipsis fidat: secundos monere vt quibus posset rationibus, sibi adiungat, eorumque consilijs & opera vtatur. quam enim aduersario constantiam, eandem sibi præstituros, & ad priorem offensam officio, fide & diligentia delendam sedulo incubituros. Tertijs vero, in rebus ad imperium pertinentibus ne hilum quidem accredat: vt qui publicum seruitium

uitium priuatis commodis ſemper ſint poſtpoſituri. Tanto hoc præceptum eſt admirabilius, quanto longius à communi hominũ opinione & ſenſu diſcedit.

Neutralitas, vt vocant, *damnoſa.*

DE Senenſibus, qui bello quodam dum neutram partem ſequi vellent, vtrique prædæ fuerant, Alphonſus Neapolis Rex dixiſſe fertur, Idem eis accidere quod ijs qui in media ædium parte habitant, vt quibus inferiores fumo, ſuperiores vrina moleſti ſunt.

Princeps à factionibus abſtinere debet.

HEnricus Imperaror cum valido exercitu in Italiam proficiſcens, quum ſummum Alpium iugum, vnde proſpectus in Italiam patet, attigiſſet, manibus ad cœlum eleuatis Deum comprecatus dicitur, vt nobiliſſimam regionem à deteſtandis Guelforum & Gibellinorũ factionibus liberandi ſibi gratiam facere vellet. Ibi Amadeus Sabaudiæ Comes, Facile id ei fore dixit, ſi tãquam communis Princeps, neutrã factionem amplectatur, & ex æquo omnes ad officium

seducere studeat. Sapiens pol & salutare hoc erat consilium, si Imperator eo fuisset vsus. Communis enim Princeps quando ad alterutram factionem sese adiungit, iam non Princeps, sed alterius factionis dux dici potest.

Quanto studio existimationem sui Princeps tueri debeat.

DEuicto Roderico Rege, pacataq; Hispania, Almansor Arabiæ Rex Abrahamum Mahauiam, hominem sibi carissimum, ad res regni inspiciendas misit. Is per loca habitatoribus parum frequentia iter faciens, inter Guadicem & Bazzam in puellam iter illac itidem sine vllo comite facientem incidens, confidentiã eius miratus, quod sic sola per solitudines oberrare non vereretur, eam reprehendit. At illa Quamdiu, inquit, Rex Iacobus Almansor nobis superstes fuerit, vbicumque lubitum erit, siue per solitudines siue per oppida & pagos, sine vllo invasionis aut violentiæ metu nobis oberrare licebit. Hanc rem quum Mahauia inter alia quæ in Hispania viderat & audiuerat narrasset: Rex, Quid tu ad hæc? inquit. Ego, inquit Mahauia, valde stultam esse dixi, quæ sub regij nominis vmbra securitatem sibi promitteret. Quid enim, auxilij misera, si quis pudici-

tiæ tuæ vim inferre vellet, à Rege tam longis terrarum ſpacijs disiuncto, habere aut ſperare poſſis: Rex altum, quem ex hoc reſponſo conceperat, dolorem corde premens, Agedum, inquit, ad idem iter te denuo accinge: magna enim res eſt, quam efficere te volo. ſicque hominem cum litteris ſua manu ſcriptis dimittit, quibus proregi Hiſpaniæ mãdabat, vt hunc ipſum legatum eo in loco vbi cũ puella colloquutus fuerat, palo infigeret, præcone ſupplicij cauſſam proclamante, Quod loco ſolitario cum puella conſiſtere & verba miſcere, ſed inprimis Regis Almanſoris iuſtitiam, & ſubditorũ in ea confidentiam in dubium vocare auſus fuiſſet. *Eſt enim Exiſtimatio quaſi patrimonium Principum.*

Imperij magni & parui differentia.

CAtharina Medices Franciæ Regina, ſi quando litteris ex Italia aut aliunde miſſis, quod pacem cum rebellibus & hæreticis (vt quidem illi nominabant) feciſſet, reprehenderetur, Maius quiddã, aiebat, eſt Franciæ regnum, quam Aliſa aut Torpia: inepte facere eos innuens, qui magna paruis compararent, & vtrobique ijsdem conſilijs vtendum cenſerent.

Maledici contemnendi.

FRidericus III. Imperator quum accepiſſet multos paſſim eſſe qui male de ipſo loquerentur, Quid vos neſcitis, ait, Principum actiones tamquam ſcopum, venenatis linguarum telis eſſe propoſitas? Nobis quidem, qui omnibus ſatisfacere non poſſumus,

---Hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nulla pallefcere culpa.

Simili animi magnitudine Franciſcus I. Franciæ Rex, quum ob graue tributum ſubditis impoſitum, multorum voculis palam proſcindi ſe audiuiſſet, quibuſdam ad læſæ hoc Maieſtatis crimen pertinere & acerrime vindicandum dicentibus, Sinite illos, inquit ſubridens, pro argento ſuo quod volunt, loqui.

Notum eſt Themiſtoclis factum, qui eum à quo totum diem conuiciis oneratus fuerat, noctu à ſuis cum lucerna deduci iuſſit,

Vita Principum qualis.

PHilippus II. Hiſpaniarum Rex Principum vitam, Textorum vitæ ſimilem eſſe dicebat. Quemadmodũ enim Textoris officium valde laborioſum eſt, & non aſſidui

aſſiduitatem tantum continuam, ſed & totũ hominem requirit, indefeſſum ſcilicet manuum ac pedum motum, defixos in tela oculos, quæ vt innumeris pæne conſtat filis, ita facile ſoluitur, rupto hic filo, alibi intricato; ad quæ omnia reconcinnanda tam oculi quã manus ſine vlla mora præſto eſſe debent: ita Reges & oculos & manus, adeoque totum animum pluribus negocijs ſimul intentum habere, & mature incommodis quibuſvis occurrere oportet. Experto crede Ruperto.

Ab aulis Principum Veritas exſulat.

FRanciſcus I. Franciæ Rex, ceruum in venatione inſequutus, & à nocte oppreſſus, pauperis ruſtici tugurium ſubijt; & pro præſenti copia à patrefamilias acceptus, peracta cœna, quid homines paſſim de Rege dicerent, eum rogauit. Hic ruſticus, Rex, inquit, bonus admodum Princeps eſſe perhibetur; in eo tamen vehementer peccat, quod familiaribus & domeſticis, nullius precij hominibus, rerum ferè omnium curam committit, ex quo fit vt pleraque maximi momenti negocia parum procedant: de leui-

oribus vero vix vlla cogitatio suscipiatur. Ad hæc Rex nihil tum quidem respondit; sed sequenti mane suis, qui interea vndique aduolauerant, Ex quo, inquit, tempore vobis ministris vsus sum, ne vnum quidem verum verbum de rebus ad personam meam pertinentibus audire mihi contigit, præterquam hesterno vesperi.

Quibus rebus Principes careant.

IOannello de Trezzo insigni artifice, Philippus II. Hispaniæ Rex valde vsus est familiariter Quum aliquando inter eos de vita regia & priuata sermo incidisset, Equidem, inquit Ioannellus, nec tibi, ô rex, nec cuiquam Principum tam splendidam fortunam inuideo, immo conditionem meam (quod cum bona Maiestatis Vestræ venia dictum velim) potiorem vestra duco, quippe cui tria maxima huius vitæ bona suppetunt, quibus vobis carendum est. Primum sunt diuitiæ omnium maximæ, nimirum, *Amici*: secundum res est totius mundi preciosissima, nempe *Veritas*; tertium vero res omnium pulcerrima & iucundissima, *Aurora* scilicet. Principes enim quia in summo gradu constituti, æquales non habent, sine veris Amicis

viuunt;

viuunt;& quia ipsorum aulæ assentatorum plenæ sunt, raro aut nunquam, & fere perioeum tantum à sannionibus aut id genus hominibus Verum audiunt: quia denique somnum in multam fere lucem producunt, Auroram, qua nihil ad recreandos tam animi quam corporis sensus est aptius, raro adspiciunt.

Principum fortuna, splendida est miseria.

SVantocopius Bohemiæ & Morauiæ Rex ab Arnulpho Imperatore ingenti prœlio victus, quum ægre viuus euasisset, tandē ad montis cuiusdam pedem depositis armis & relicto equo, loca auia & solitaria petijt, in quibus aliquamdiu vagatus, vitam pomis agrestibus & radicibus sustentans, tandem ad tres eremitas peruenit, & ab ijs in consortiū receptus, reliquum ibi vitæ curriculum in summa paupertate exegit, nec interea cuiquam quisnam esset, aperuit. Tandem iam morti vicinus, socios suos ita affatus dicitur: *Me qui sim, vos hactenus nescijstis. Bohemiæ & Morauiæ Rex sum, vel fui potius. prœlio victus, in hac solitudine latibulum quæsiui, & apud vos inueni, Vtramq; vitā, Regis sc. & priuati hominis*

degustaui.hoc sancte vobis affirmo, nullam regni fortunam eremi tranquillitati præferendam. Somnus quietus equidem radicibus, herbis & aquæ optimum saporem conciliat: e contra pericula & curæ, quibus dies noctesque Reges anguntur, omnem cibum & potum amarum reddunt. Quamdiu Deo visum fuit, beate apud vos vixi: at omne illud tempus quod in Regno transegi, mors potius mihi quam vita videtur. Nunc hoc extremum à vobis officium peto, vt corpus meum anima solutum, hoc loco sepeliatis.

Carolum V. Imperatorem sæpe dixisse ferunt, Se abdicato regno, in sua ista solitudine (D. Iusti cœnobio) è quieta vnius diei meditatione plus solidæ voluptatis quã ex omnibus victorijs & triumphis hausisse.

Similis, militum Adriani præfectus, quum ægre vacationem obtinuisset, & in agro septem annis quod reliquum fuit vitæ, priuatus in ocio & quiete exegisset, moriens sepulcro suo inscribi iussit: *Similis hic iacet, cuius ætas quidem multorum annorum fuit, septem tamen duntaxat annis vixit.*

Apud Lucianum Pythagoras, cuius anima fingitur, subinde mutato domicilio, per omnia virorum ac mulierum, bipedum ac quadrupedum corpora fuisse peregrinata, fatetur se longe suauius vixisse quum esset Rana quã

quum

quum Rex esset.

Eandem in sententiam Antigonus filio dixit: *An ignoras Regnum splendidam esse seruitutem?*

Idem: *Si quis nosset quantis malis diadema sit refertum, ne humi quidem iacens tolleret.*

Epictetus: *Quemadmodum in paruo humilique grabato anguste cubare hominem sanum melius est, quam in lecto amplo sese volutantem ægrotare; similiter in exigua fortuna melius est se contrahentem læto esse animo, quam in magna fortuna, tristi.*

Qui Principum consortio indigni.

IAcobus Almansor parasitos, sanniones, ludiones, histriones, & id genus homines vehementer detestabatur, tamquam inutilia terræ pondera, & fruges tantum consumere natos: fucis eos similes esse dictitans, qui alieno labore partis opibus insidientur.

Quæ Principibus maxime perniciosa.

BAliardus strennuus militiæ ductor, nullam rem apud Principes perniciosiorem esse dixit, quam audaciam &

potentiam, cum ignorantia coniunctam.

Aulicorum vita.

CORdatus quidam & multæ experientiæ homo, illud se obseruasse dicebat, tam Principes quam eorum asseclas quasi per transennam hunc mundum inspicere, vitæq; bona extremis tantum labijs degustare. Ob continuas enim & grauissimas occupationes cibum eos non manducare, sed truncare; nec vinũ bibere, sed infundere: atq; ita fieri vt ad integri mensis aut etiam anni finem prius perueniant, quam initiũ sensérint Quomodo enim vllã sinceram vitæ huius voluptatem illi percipiant, qui eam aut continue discursando, aut simulando ac dissimulando, aut suam fortunã deplorando, & aliorum inuidendo, aut mille iniurias deuorando, præsentia detestando, futura metuendo, & infinitis alijs tam corporis quam animi miserijs traducunt? Non iniuria Hispani vulgari prouerbio illum Regem esse dicunt, qui Regem numquam viderit; & Franciscus Hetruriæ Dux ciuis aut rustici opulenti conditionẽ omnibus alijs præferebat. Sed quidquid alij sentiant, equidẽ litteratos tantũ homines, eos præsertim quibus necessaria non desunt, vita hac vere & quasi in solidũ frui,

existimo: vt qui tempus quiete & honestis occupationibus, transigendo, vitã hanc, non vt aulici negociatores, & alij, veluti raptim currẽdo, sed pedetentim ambulãdo transeũt: nonnumquam ad dulcẽ leniter decurrentiũ riuulorũ strepitũ cõsistentes; alibi viridantiũ & pulcerrimis fetarũ fructibus arborũ, valliũ amœnissimarum, colliculorum & præcelsarumq́ piũ mira varietate inter se dist inctarũ iucundissimo adspectu oculos pascẽtes; è varijs denique tam Naturæ & doctrinæ quam pietatis flosculis immarcessibilem Sapientię sibi corollam texentes: atque ita suauiter in Dei gratia & melioris vitæ spe acquiescẽtes.

In aulis Principum hodie fere sanniones, ludiones & assentatores primas tenent. His licet intrare, sedere, loqui: his cibus de Principis mensa datur, his cubicula, & arca etiam Principis patet, his creditur, his mos geritur. His bene aut male, provt voluerint, de vnoquoque loqui licet: grata sunt denique omnia quæ dicunt aut faciunt.

Adulatores quomodo excipiendi.

QVidam Sigismundum Imperatorem ad cœlũ laudibus efferebat, ac Deo pæne æqualem faciebat. Iratus Imperator homini colaphum impingit. Exclamãti, *Cur me verberas*: respõdit: *Cur tu me mordes?*

Huic

Huic congruit illud Græcorum: τὰ πρῶτα ὁ κόλαξ, τὰ δεύτερα ὁ συκοφάντης. In aulis Principum primas tenet adulator; secundas, sycophanta.

Eodem Sigismundo, Adulatores cane peius & angue se odisse dicente, Brunorus Veronensis, At hoc genus, inquit, homines longe omnium vobis carissimos esse video. Qua enim alia arte plerique omnes tantam gratiam & fauorem acquisiuerunt? Ibi Imperator, Verum dicis, mi Brunore: ea enim est naturæ nostræ imbecillitas, vt quāvis Adulatores fugiendos esse dicamus, eorum nihilominus consuetudine delectemur. Et tu ipse profecto si nihil omnino vmquam esses assentatus, iamdudum, credo, aula mea exijsses. Innuens non semper *Veronensem*, sed *Placentinū* nonnunquam fuisse.

Præsente Friderico III. Imperatore Gaspar Schlickius tam multiplicem aulæ hypocrisim detestatus, Ego, inquit, quovis ire potius constitui, quam inter eiusmodi homines versari. Tū Imperator, Ergo vltra mare glaciale proficiscendum tibi intelligo: & tamen ibi quoque quod fugis inuenies; siquidem nemo est quin hac arte aliquando vtatur. Immo, vt præclare Seneca, *Sibi quisque maxime assentatur.*

Ludouico

Ludouico XII. Franciæ Rege aliquando dicente, In aula sua abunde omnia quibus opus esset, & quibus etiam opus non esset reperiri, vnum tamen abesse: familiarium aliquis id quidnam esset rogabat. Veritas, Rex inquit: quam pater meus animam agere dicere solebat; ego vero, & quidem intestatam, iam mortuam puto.

Augustus mortuo Varo, idcirco supra modum se dolere aiebat, quod iam non esset à quo verum audiret,

Gordianus vero Imperator dicere solebat, Miserum esse Imperatorem apud quem vera reticentur.

Inimicus sæpe magis quam amicus vtilis.

SOcrates, & post eum Cato, Multo melius aiunt de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos qui dulces videantur. illos verum sæpe dicere; hos numquam.

Apud Platonem est, Ei qui sit futurus incolumis, animo incorrupto, aut fidelissimis amicis, aut acerrimis inimicis opus esse.

Antigonus Rex Deos quotidie precari solebat, vt eorum præsidio ab amicis defenderetur,

retur, quod ab inimicis, adhibita qua par est diligentia, facile sibi ipse cauere posset. Hinc Ambrosius: *Inimici vulnera quam amici oscula sunt vtiliora.*

Principes cur equestris artis quam imperij administrandi peritiores.

VIdemus plerosque Principes, vt alia omnia ignorent, equitandi tamen artem callere. Id eo fieri dicebat Carneades, quod solus equus adulari nesciat, sed si minus recte regatur, nō minus Principē sessorem, quā quemvis lixā aut calonē excutiat.

Qui potissimum alienis consilijs indigeant.

LVdouicus XI. Franciæ Rex, vt singulari erat ingenij acrimonia, ita paucorū tantum, idque raro admodum, consilijs vtebatur. Eum quum Bresaius Normandiæ Præfectus, paruo equo insidentem officij caussa comitaretur; Vnde, inquit, ô Rex, tam robustum equum nactus es? Ibi Rex, Quid ais? Equidem paruus hic & parum validus equus est, vel mannus potius. Tum Bresaius: Non quidem immerito prævalidum equum dixerim, qui & te Regem, & tuos Consiliarios

omnes

omnes simul portat.

Similis simili gaudet.

CAnis Magnus Scaliger Veronæ Princeps, ludionibus & histrionibus mirum in modum delectabatur, eosque frequentes circa se habebat. In eiusdem aula tum Dantes Aligerius, singulari vir doctrina, & præcipue Hetruscis poematis celebris, sed ab aulæ moribus alienus, commorabatur: quo præsente quum Canis Princeps vnum ex histrionibus plurimum laudasset, conuersa ad Dantem oratione, Annon, inquit, mirum est, tam mihi quam aulicis hominem hunc, nulla re nisi scurrili quadam facetia insignem, tantopere gratum & iucundum esse; te vero, cuius tanta grauitas & doctrina est, nequaquam placere? Ad hæc Dantes, Equidē nihil hoc, ait, mirum est: quum animorum & morum similitudo præcipua sit amoris conciliatrix. Vetus prouerbium: *Graculus graculo adsidet*. Et *Pares cum paribus facillime congregantur*.

Musica cui inutilis.

AD Ludouicum XI. Franciæ Regem Eduardus Angliæ Rex legatos miserat: quos ille remissurus, Petrū Brisæū Norman-

Normandiæ Præfectum rogauit, quidnam potissimum muneris loco ad Angliæ regem mittendũ censeret? Tũ Brisæus, Musicos tuos censeo mittas. Sic enim nec damnum (vt quibus parum delectaris) immo lucrum feceris, ærario tot stipendijs subleuato.

Qui Principum ministri felicissimi.

CElebratur eiusdem Regis & hoc: Eos Regum ministros multo esse feliciores qui Regibus ob vltronea beneficia, quam quibus Reges ob benemerita sint obligati. Ita enim natura comparatum est, vt credere alijs quam debere malimus. *Et Beatius est dare quam accipere.*

Econtra Ferdinandus Toletanus Albæ Dux, Miseros esse aiebat ministros quibus Rex prouectæ ætatis faueret. Id fortasse voluit innuere, fauorem eiusmodi Principis parum esse duraturum, & vna cum vita eius extingui; quum plerumque noui Principes nouos sibi adsciscant Consiliarios & ministros: aut senum gratiam, vt qui natura difficiles sunt & morosi, facile effundi, sed ægre conseruari.

Quarta

Quarta Luna nati.

SIgiſmundo Imperatore per flumen equitante, equus cui inſidebat, in flumen minxit. Id ex aulicis quidam conſpicatus, En eandem, inquit, equi & heri ſeſſoris indolem, Cauſſam huius dicti exquirenti Imperatori, idem ait: vt Equus hic flumen immeijt, vbi tamen ante ſatis aquæ eſt; ſic Imperator in eos potiſſimum liberalis eſt qui ſatis habent. Non multo poſt Imperator dicti huius memor, duas pyxides eiuſdem formæ & magnitudinis, vnam quidem auro, alteram plumbo implet, & illum ad ſe vocatum, vtrã vellet eligere iubet Quum infelix ille eam in qua plumbum inerat, ſumſiſſet, Imperator Vides, inquit, non mea culpa, ſed ſiniſtro quodam tuo fato meam liberalitatem tibi nihil prodeſſe.

Faceta artificis excuſatio.

QVum Ioannellus de Trezzo in opere quodam, quod Philippus II. Hiſpaniæ Rex quamprimum ſibi fieri iuſſerat, elaborando ſegniter admodum procederet, Rex officinam (quod alias quoque ſæpe factitabat) ingreſſus, Cedo, inquit, Ioannelle, ſi miniſtrum aut famulum haberes, qui

quod

quod iussus esset facere, non faceret tamen: quidnam tali homine faceres? Equidem, inquit Ioannellus, numerata illi mercede, quamprimum facessere eum iubeam. Rex quid responsum hoc sibi vellet intelligens, Ioannello quod debebatur, statim solui iussit. Quum vero ne sic quidem Ioannellus opus maturaret, Rex ad eum rursus veniens, Quid iam, inquit, Ioannelle, ei ministro faceres, qui accepta mercede, tamen in mora esset? Ego, ait Ioannellus, ei iubeam, ne plus facere velit quam possit.

Ne in alios nimis imperiosi.

ALphonsus Alboquercius & Lupus Soares, vterque Indiæ Orientalis prorex, natura & moribus valde inter se discrepabant. Ille enim tam in sermone quam ceteris in rebus magnam comitatē præ se ferebat, ac ijs quibuscum negocium quodcumque tractabat, facile sese accommodabat: econtra hic in omnibus tam dictis quam factis singularem grauitatem atque etiam rigorem vsurpabat, nec aliorum mores facile ferebat. Hinc Cochini Rex, cuius illi amicitia & fauore ad tuendas Lusitanorum ibi opes valde opus habebant, dicere solebat, Lupus Soares quidem me secundum

suam

suam voluntatem tractat; atque eò in Lusitanorum negocijs ego meam faciam: at quia Alphonsus me secundum meam tractat voluntatem, ad ipsius voluntatem meam accommodabo. *Qui vult fieri quod ipse vult, itidem quod alij volunt facere eum oportet.*

Sermo ingenij index.

LVdouicus XI. Franciæ Rex, culinam ingressus, adolescentem vidit, Stephanum nomine, igni assidentem, & veru versantem. Eum Rex rogat cuias esset, & quanti mereret: Stephanus, Regem non agnoscens, ait, se Barriensem esse, nomen sibi esse Stephano, Regi operam in ea quam videret te, præstare; eaque tantum quantum ipse Rex lucrari. Quid ergo, inquit Ludouicus, aut quantum Rex lucratur? Id, ait Stephanus, quo opus habet; & vt ille à Deo, ita ego à Rege quæ necessaria sunt habeo: nec ille plus quam ego ex hoc mundo secum asportabit. Hoc responso Rex mirum in modum delectatus, adolescentem è culina ad cubiculi ministerium transtulit, & multis honoribus & diuitijs auxit. Notum est illud: *Loquere vt te videam.*

Suam quisque artem exerceat.

EPiſcopum Ebroicenſem Rex Franciæ Ludouicus XI. ad recenſendos milites Luteti am miſerat. Id Equitum magiſter Chabanus ægerrime ferens, Regem adit, & prouinciam reformandi Ebroicenſis Eccleſiæ Canonicos à Rege petit. Hoc, inquit Rex, munus à perſona & conditione tua alienum eſt. Tum Chabanus, Qui minus inquit, mihi conuenit clericos in ordinem cogere quam Epiſcopo milites recenſere? *Ne falcē in alienam meſſem.*

Idem Rex quum Epiſcopum Carnutenſem mulo inſidentem, & frænum deauratum manu tenentem vidiſſet, Olim, aiebat, Epiſcopis aſinum aut aſinam, cum ſimplici capiſtro, ad equitandi vſum habere ſatis erat. Id inquit Epiſcopus, eo tempore fuit quō Reges ouium erant paſtores.

Epiſcoporum munus.

GVlielmus Hollandiæ Comes, idemque Romanorum Imperator, Chriſtianum II. Moguntinum Archiepiſcopum vt in bellum ſecum proficiſceretur, monuerat. At ille, Epiſcopi, inquit, munus eſt, verbum Dei prædicare, non armis decertare.

certare. Christus enim Petro gladium in vaginam recondere præcepit. Equidem si verbũ Dei populis annunciare me iusseris, præsto sum. Scio enim id mei esse muneris. Dignus hic ipso Pontificatu.

Eodem animo fuit Ioannes II. Episcopus Hildesheimensis. Quum enim eum vt bibliotheca sibi commonstraretur rogantem, aulici & Canonici in armarium optime instructum deduxissent, hisce libris Episcopatum contra hostes defendendum fore dictitantes, Apage, inquit, talem bibliothecam, nec vitæ meæ instituto nec moribus congruentem: statimque relicto Episcopatu, ad priuatam vitam rediit, non multo post Augustæ Vindelicorum factus Episcopus; vbi inter libros quibus bibliotheca illa mirifice instructa est, tranquille vixit. Hanc in sententiam præclare Chrysostomus, *Sacerdotis*, inquit, *est tantum arguere, liberaque vti exhortatione: Non mouere arma, non clypeos vsurpare, non vibrare lanceam, nec iacula mittere.*

Ioannes Baptista Fulgosus lib. 6. cap. 2. facetum, immo sarcasticum pæne rustici cuiusdam eandem in sententiam dictum refert. Is enim quum Episcopum quendam magno cum equitum, currũ, lixarum, &c. comitatu iter facientem videret, suauiter

ridere cœpit. Caussam huius risus ab Episcopo rogatus, Annō, inquit, rideam qui sciā D. Petrum Sacerdotalis ordinis caput & Principem paupere admodum cultu vitam sustētasse, suos tamē successores in tantas diuitias collocasse? Tum ille, Non Episcopus tantum sum, sed & sæcularis Princeps. Iam quidem vt Princeps incedo; at quum in templo fuero, Episcopi habitum sumo, & officium fungor. Hic rusticus iterum, ac multo magis quam ante subridens, caussam risus rursus exquirēti respondisse dicitur: Equidem dici mihi velim Principe ad Orcum proficiscente, quo in loco mansurus sit Episcopus?

Monachis intra regularum suarum cancellos manendum.

MOnachus quidam (vt est apud eundē Fulgosum) Benedictinæ familiæ à Pontifice ad Cardinalitiam dignitatē euectus & legati nomine in Germaniā missus fuerat. Sic igitur adscitis in comitatū fratribus aliquot eiusdē ordinis, iter ingreditur. Erat inter ceteros quidā frater laicus, vt vocant, qui tam ab ipso Cardinali quā reliquis comitibus rogatus, & coactus fere vt aliquid diceret, quod tā ad animi recreationem quā emendationē pertineret, quū modeste pro-

uinciam

uinciā aliquantulum deprecatus esset, tandem ita exorsus est. Vbi ex hac vita excesserimus (quod propediē forsan futurū est) & ad Paradisi ostiū peruenerimus, S. ibi Benedictus ordinis nostri auctor, ad deducendi in Paradisum officiū nobis occurret. Vbi vero te, Domine, ita mitratū & Cardinalitio petaso tectū viderit, Equidē, dicet, tam habitū hunc quā faciē ignoro: quis tu es? Si è familia ipsius monachū te esse dixeris, statim obijciet, cornua ista monachos non decere. Tandē multa excusantē ianitori mandabit, vt humi prosternat, & ad rem certo explorandam, stomachum tibi aperiat: in quo olera, pisa, fabæ, & eiusmodi cibi reperti, facile te ipsius domesticum & regulæ socium fuisse, fidē facient; at si cupediarū & delicatorū ciborū reliquiæ sese ostenderint, dubium non est quin monachum te suæ familiæ fuisse negaturus statimque abdicaturus sit. Ecquid in his angustijs constituti respondebimus aut faciemus?

Memorabilia quædam dicta.

In hoc mundo qui non patitur, nō vincit.
Numus est humanæ potentiæ compendiū.
Veritas intellectus siue ingenij pastus est.
In hac vita omne *quid*, habet suum *Sed.*
Qui in virtutis studio paruum parui facit,

nec magnum magni faciet.

Facile ei quidquid incœperit perficere, cui pecuniæ satis est.

Principum consultationes impudicarum mulierum sunt similes, quæ quanto frequentius amantibus sese applicant, tanto minus concipiunt ac pariunt.

Qui parce laudat, vituperat.

Bonum est intra aut etiam duos pedes citra metam sese cõtinere. sic enim citius promoueberis quam remoueberis.

Satisfacere omnibus longe omnium rerum est difficilimum.

Ambitio honoratum malum est.

Æquiori animo damnum quam contumeliam plerique ferunt.

Nihil durius est aut molestius, quam si quis ijs quibus nec animo nec ingenio cedat, illis ipsis in rebus quibus illi inferiores sunt, cedere cogatur.

Quæ prudentem faciant.

VT perfecte quis ea quæ mundi huius sunt sciat & sapiat, tria requiruntur. Primo vt aliquando Amauerit: secundo, vt dimicauerit: tertio vt in iudicio litigarit. Hæc qui expertus fuerit, aut etiamnum experitur, nisi quotidie prudentior euadat,

dat,

dat, fungus ſit oportet.

Nemo ſua ſorte contentus.

ALphonſus Aragoniæ Rex dicere ſolebat, olim totius Vniuerſi imperium inter Iouem, Neptunum & Plutonem, fuiſſe diuiſum; & horum vnumquemque ſua portione contentum, ab alterius imperio abſtinere. At apud homines, longe aliter euenire, quorum nemo ſua ſorte acquieſcat: immo quidquid alteri acceſſerit, vnicuique ſibi decedere videri.

Quouſque tuenda ſententia.

QVum inter duos amicos & ſtudijs ijsdem deditos quæſtio incidiſſet, quot annos Auguſtus Imperium tenuiſſet; & vnus quinquaginta ſex (qui verus eſt calculus) alter vero quinquaginta quatuor annis Rempublicam ab eo adminiſtratam diceret, & hic quidem ſententiam ſuam mordicus teneret ac defenderet, ille qui verum numerum dixerat, tandem ceſſit, & alteri aſſentiri ſe ſimulauit. Id vnus auditorum miratus. Cur tu, inquit, à vera ſententia dimoueri te paſſus es? Tune mihi auctor es, inquit alter, vt ob vnum Auguſti biennium amicũ

perdam.

Optimum litium in matrimonio remedium.

ALphonſus Aragoniæ Rex dicere ſolebat, Tum demum plerisque moleſtijs liberum fore matrimonium, ſi maritus ſurdus, vxor cœca fiat.

Cui tempus, eidem vita ſuppetit.

MAhometus Granatæ Rex fratrẽ ſuũ Abulẽ-Heiex, ob tentatã ab eo ſeditionẽ, diu captiuũ detinuerat. Morti vicinus, ne idem filium regno expelleret, veritus, vnum è miniſtris ad ſumendum de eo in carcere ſupplicium mittit. Is eo profectus, Abulem latrunculis ludentem inuenit & Regis expoſito mandato, ad ſuppliciũ ſeſe parare iubet. Abul rogans vt duas tantũ horas ſupplicium differretur, quum nihil impetrare poſſet, tandem multis precibus & obſecrationibus id ſaltim impetrauit, vt cœptũ ludum finire ſibi liceret. Vix cœperat, quum ecce ſubitus aduolat nuncius, Mahometum mortuum, & in eius locum ab vniuerſo populo Granatenſi vnanimi conſenſu Abulem-Heiex Regem eſſe electum.

Antonius Marinus à Turcis captus, vt vitã redime-

redimeret, Sultano rem admirabilem sese effecturum, nempe elephantem intra decennium humanam se docturum linguam, promisit. Mirantibus amicis, & ne plus promittendo quam præstare posset, supplicium multo acerbius sibi adsci sceret, monentibus, Sinite hoc, inquit, meo modo me facere. Intra decem illos annos aut Rex, aut ego, aut elephas decesserit.

Vita longa vnde.

Italus quidam centum & quindecim annos natus, & illa ipsa ætate mirum in modum sanus adhuc & vegetus, à Cardinali quodam rogatus, quibus remedijs vitã ad tã multos annos produxisset, respõdit.

Co'l mangiar broccoli,
Portar à i piedi zoccoli,
In testa capello,
Pochi pensieri in ceruello, id est,
Cibum bonum manducando,
Pedes socculis velando,
Caput sedulo tegendo,
Curas omnes fugiendo.

Quis stultus dicendus.

Christophorus Madrutius Cardinalis illud in sermone frequẽter vsurpabat, Nõ eũ stultũ dicẽdũ q̃ stulte q̃d faciat,

sed qui quæ stulte fecerit tacere ipse non possit.

Munimenta optima quæ.

FErdinandus Aragoniæ Rex, à Francis Neapolitano regno exsutus, dum Ischiam versus nauigat, sæpe respiciens, hæc verba vsurpasse dicitur: *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Ecce vt aduersus rebus id didicit, quod prosperis numquam discere potuit.

Petrus Ludouicus Farnesius hominem artis architectonicæ, in iis præsertim quæ ad munitiones pertinent, peritissimum rogabat, vt Placentinam à se nuper exstructam arcem diligenter inspicere, & si quid ei deesset monere vellet. Quod quum ille fecisset, à Duce, quid de ea ipsi videretur rogatus: Equidē, inquit, satis munita mihi visa est; vnum tamen desiderari possit, quod superne muro non est tecta. Id scilicet voluit dicere, etiam munitissimis arcibus & oppidis, nisi præsente Dei auxilio & tutela, fidendum non esse.

Serbellonus, muniendarum arcium peritissimus, dicere solebat, *Poca cosa, poca forza*, id est, *Rei paruæ, paruæ sunt vires*: ostendens loca munita non angusta esse debere. Ratio

est,

est,quod parua nec assultum diu sustinere, nec ad defensionem, loci quantum satis est dare possunt.

Inter omnes artes militares Camillus Vrsinus eam quæ ad muniendi rationem spectat, Principi maxime necessariā esse censuit, ne scilicet aut per ignorantiam aut malitiam ab alijs deceptus, infirma pro firmis habeat, atque ita arces & præsidia, immo totum imperium subito amittat. At idem hanc artem non nisi ipsa experientia, id est, loca talia tam defendendo quam oppugnando, disci censuit: eoque quum aliquando quidā à Paullo III. Pontifice missus, multa eam in rē dissereret, Quid tu miser, aiebat, tamquam cæcus de coloribus fers iudicium, qui nec oppugnationi, nec defensioni vllius talis loci interfuisti?

Quæ loca diligenter custodienda.

GOrdonza Rex Mogostan, à Mulech vicino Rege Giron insulam tum desertam tradi sibi petierat, tamquam rem parum fructuosam. Id marito vxor dissuadere volens, hac similitudine vsa est. Quemadmodum, inquit, clauis ferrea per se quidem parua res est, in eo tamen quod thesaurum & quidquid volumus, recludit, quo-

vis auro preciosior: ita insulam hanc, quæ tamquam Persici sinus clauis sit, etsi sterilem, minime alterius potestati permittendam, sed quamdiligentissime custodiendam.

Viro forti arma quavis satis.

ALbigualit Arabiæ Rex, magnatibus suis conuiuium fecerat: quorũ vnus ensem, & materiæ & artificij præstãtia singularem, iusto tamen aliquando breuiusculum, Regi donauit. Is statim filium suũ Iacobum Almansorem adolescentem vocari iussit, monitis interim ijs qui aderant, ne quis vitij illius in ense deprehensi mentionem faceret. Almansor quamprimũ ensem adspexit, Hic, inquit, integri oppidi precio recte compareтur. Tum pater, diligẽter ensem inspicere iubet, an forte aliquod in eo vitiũ deprehẽdere posset. Almansore nihil ad summam perfectionem tam elaborato operi deesse dicente, pater, At isti, inquit, nimis breuem ensem hunc esse aiunt. Ibi Almansor arrepto capulo, Homini forti, inquit, nulla arma nimis breuia sunt: ac dextro pede passum promouens, hoc modo, inquit, quod lõgitudini deest, facile suppleri potest. Responsum hoc patri tantopere placuit, vt filium

amplexus, cum Philippo illud, *Macedonia se non capit*, exclamarit, & ensem lateri eius appenderit, inquiens, Non alium quam illum decere, cui perfectissimus visus sit.

Ridiculum Epitaphium.

MArtinus Ianes Barbuda Alcantaranæ militiæ in Hispania magister, sepulcro suo hæc verba incidi iussit: *Hic situs est Martinus Ianes, in cuius pectus nullus vnquam metus intrauit.* Hoc Epitaphium quum ad Carolum V. Imperatorem relatum esset, facete, Credo, inquit, Equitem hunc nũquam candelam ardentem digito attigisse.

An prælio confligendum.

QVum inter homines militares quidam Principis mentionem fecisset, qui supremo militiæ suæ duci ditionem ita tuendam commiserat, ne in prœlium cum hoste descenderet: Marchio Sauornianus, Hoc, inquit, nihil aliud est quam potestatem alicui facere vt vincatur, non vero vt vincat. Quum enim victoriæ momenta sæpe magis in occasione quam viribus posita sint; qui ad prædictum modum ducis imperium circumscribit,

quid aliud facit quam quod ipſum, quaſi ligatis manibus, aduerſario occaſione recte vtenti, ad vim & ludibrium obijcit atque exponit?

Spes recuperandi.

BEllo inter Gallos & Sabaudiæ Ducem ſuperioribus annis geſto, Bona Ladigerius veteranus militum ductor Bricheraſſum oppidum magni momenti inſidijs interceperat. Ducis ſubditis vehementer attonitis, ac fere animum deſpondentibus, idē Dux, Galli quidem, inquit, Bricheraſſum interceperunt, non tamen aſportarunt. Quo dicto pleroſque in meliorem ſpem erexit.

Quis optimus comes.

EIusdem & hoc eſt: *In magnis periculis meliorem comitem haberi non poſſe quam animum fortem & audacem.*

Quæ ad bellum neceſſaria.

IDem aiebat, Duas præcipue res ad bellum recte gerendum requiri, Auctoritatem & Pecuniam; ad milites tamen in officio cōtinendos plus Auctoritatem poſſe quam pecuniam. Cuius ſententiæ quamvis aliæ quæ-

que

que rationes dari possint; hæc tamen minima non est, quod Auctoritas penes ipsum imperatorem; at pecunia plerumq; in mercatorum & argentariorum est potestate.

Quanti faciendum ducis in bello imperium.

Belli ad Tunetum contra Turcas administrandi summam Carolus V. Imperator Alphonso Vastio demandarat: qui quum Turcas signa propius inferentes conspexisset, Imperatori qui inter primos prouolauerat, inquit: Quandoquidem Vestra Maiestas me summo huius belli hodie præfecit imperio, pro eo volo ac iubeo vt hinc ad mediam aciem te recipias; ne forte vnius globi ictus non victoriam tantum & omnia nostra consilia corrumpat, sed etiam certam nobis omnibus perniciem afferat. Ad hæc subridens Imperator, Tuum quidem, inquit, imperium lubens accipio; at à globo aliquo mortifero non est vt mihi metuas, siquidem hoc teli genere nullus Imperatorum est extinctus.

Non tergum, sed frons hosti obvertenda.

COnſaluus ille, qui *magni Capitanei* nomen meruit, quum Gallorum impetū & ferociam cunctatione & quorumuis laborum tolerantia vincere decreuiſſet, citra flumen Garilianum ad pagū Cinturam caſtris poſitis, exercitu continuis pluuijs & fluminis eluuione vehementer vexato, quibusdam vt Capuam caſtra transferret ſuadentibus, præſertim quum hoſtis plerisque rebus iam ſuperior eſſet, Ne hoc Deus vmquam ſirit, inquit, vt hoſtem ego fugiam. Immo iam nunc vnum pedem propius hoſtem, ſepultum me malim, quam paucos paſſus retrocedendo, vitam vel ad centum annos prorogare. Et hac quidem conſtantia hoſtē tandem Conſaluus fregit, & victor diſceſſit.

Caſus improuiſi dextre interpretandi.

IDem puluere ac omni tormentario apparatu ante prœliū ad Cerigolā cum Nemoroſio Gallorū duce commiſſum, incenſo ac corrupto, lætabundus milites ſuos bono eſſe animo iuſſit. Id enim certū à Deo victoriæ datū eſſe auguriū, quod ſcilicet porro tormentis non opus ſint habituri.

Belli fortuna incerta.

EManuel-Philibertus Sabaudiæ Dux belli fortunam non minus quam tesserarũ ludum incertum esse dicebat.

Econtra Chiapinus Vitellius, Italus, militum in Belgio sub Hispaniarum Regis auspicijs præfectus, Fortunam & casum in bello nequaquam vt ceteris in rebus, vllam vim aut partem habere aiebat; sed omnia prudentiæ vel imprudentiæ adscribenda.

In bello nihil procrastinandum.

SElimus I. Turcarum Imperator, cum sapientem esse negabat, qui rei deliberatæ exsequutionem differret: quum mora plerumque occasiones corrumpantur, & impedimenta accumulentur. Tempus quidem acerbis fructibus maturitatẽ; at maturis putredinem affert.

Diligentiæ vis.

ALuarus Basanus, naualis militiæ dux peritissimus, dicere solebat, Diligentiam bonæ Fortunæ vel prosperi successus matrem esse: idque verum esse, suo ipse non semel exemplo probauit. Neque enim ministris fidebat, sed apparatum singularum nauium bellicum, omnemque annonam diligenter ipse inspiciebat. Qua quidem

industria

industria & diligentia expeditiones fere omnes summa cũ laude feliciter confecit: quarum nobilissima ea est, qua profligata ad Azores insulas Gallorum classe, Terceram earum caput, recuperauit.

Cum ætate fortuna mutatur.

IOannes Iacobus Medices Marchio Marinianus, quum in Metensi obsidione Carolum V. Imperatorem, ob exiguam boni successus spem, cogitabundum ac tristem vidisset, Quare, inquit, ò Imperator, tantopere te affligis? An nescis, *Fortunam malas & lasciuas mulieres imitari, quæ desertis senibus, iuuenibus sese applicare solent?* Idem illis ipsis annis Ioannes-Andreas Doria, frustra tentato Algerio, expertus est.

Obsidio non facile tentanda.

FRanciscus Guisius ita sentiebat, Ei qui magnum quid in bello efficere velit, tempus locis munitis obsidendis non esse consumendum. Interea enim multas maioris operæ precij faciundi occasiones elabi, bellicum apparatum consumi, copias accidi, ac vix quidquam ad cœpta persequendà reliquum fieri. Nec sane quidquam Principi gratius accidere possit, quam si hostem in

in loci alicuius præsidio & rebus omnibus bene muniti, oppugnatione occupatum videat. Ostenda loquatur.

Fama in bello multum potest.

LIgistarum siue Confederatorum in Gallia copiis ad Iucriacum pagum ab Henrico IV. rebus gestis vere Magno & immortalis memoriæ Rege, profligatis, & ad internecionem fere deletis, Carolus Guisius Dux Mainius, circummissis statim vndique litteris, Confederatos de insigni victoria quam ab hoste reportasset, certiores fecit. Hanc impudentiam quum quidam mirarentur, vtpote quum res ipsa diu latere non posset, Mainius, At vos, inquit nescitis quantum sæpe vnius diei in bello mendacium prosit. Quum enim opinionibus res humanæ regãtur, id sæpe potest creditum mendaciũ, quod ipsa Veritas non possit.

Non multum sapiendum in bello.

RVdigeri Bellagardæ E. M. illud celebratur: *In bello non valde sapientem esse oportere*. Cuius dicti hæc forte ratio est quod qui caute admodum procedunt, omniaque momenta diligenter excutiunt, tantas sæpius inueniunt difficultates vt ab in-

cœpto

cœpto desistant; quas strenui & cordati vt plurimum vincunt.

Bis victus.

QVum Ferdinandus Toletanus Albæ Dux, Pompeium cōtra suā ipsius sententiam & voluntatem vt cum Cæsare prœliū committeret, à suis persuasum esse legisset, *Bis ergo*, inquit, *hoc vno prælio Pōpeius victus est*: primum à suis, deinde à Cæsare.

Idem in Italia pro Hispaniarum Rege cōtra Pontificem, qui Gallos in auxiliū adsciuerat, militans, & à Guisio ad prœliū prouocatus, Desipiam profectò, inquit, si pro sago holoserico (quod Guisius scilicet supra arma gestabat) Neapolitanum regnū in vnius prœlij aleam exponam.

Bella quibus modis conficiantur.

ALphonsus Rex duobus modis bella cōfici aiebat, Præueniendo & Diuertendo: quorum illo hostis confunditur; hoc vero eiusdē vires distrahuntur, & ijs incōmodis quas alter à se diuertit, obijciūtur.

Qualia pleraque hodie bella.

MOnlucius Valentiæ Episcopus Constantinopoli reuertens, per Budā facto itine-

cto itinere, Bassam siue Præfectum de inducijs certiorem fecit, & vt eas fideliter seruaret, monuit. Ad hæc Bassa; Equidem si me vero cum hostibus bello occupatum offendisses, fateor nũcium hoc mihi, qui armis quidquid sum debeo, valde ingratum futurum: at vt verum dicam, hactenus nec Romanorum Regis vicarius, nec ego, nec vtriusque nostrum milites vllum bellum nisi cum armentis, gregibus, & miserorum rusticorum fortunis gessimus, cuius iam sane dudum me piget ac pudet: eoque nomine multum me tibi & alijs quorum opera pax hæc conciliata est, debere profiteor, quod tandem latrocinio huic (sic enim potius quam bellum nominem) tam à religione quam conditione mea plane alieno, honeste finem imponere licet. Verba non Turca, sed Christianissimo milite digna.

Victis non insultandum.

GVlielmus Normandiæ Dux quum in prœlio quo Eraldo profligato, Angliæ regnum subegerat, militem vidisset, iam occisi Eraldi cadaueri ictus aliquot infligentem, eum statim cum ignominia exauctoratum, castris eiecit, tam turpe esse dictitans hosti mortuo insultare, quam

viuo

viuo tergum obuertere. Facile est cuiuis, *Barbam vellere mortuo leoni.*

Prœlium quando detrectandum.

RENatus Andegauensis & Lotharingiæ Dux cum Alponso Aragonio de Neapolitano regno bellum gerens, per tubicines duos & fetialem, chirotheca, vt moris est, ad eum missa, cũ ad prœlium prouocauit Alphonsus, Vos hero vestro nunciate, inquit, me chirothecam acceptare: quum vero in eius qui prouocatus est, potestate & arbitrio sit locum & tempus pugnæ designare, dicite me pridie Calendas Octobris in Calabria prœlij ei copiã facturũ. Qua oratione aduersarij ferociã elusit, & prœlij aleã vitauit. Postea hostilibus iã copijs ob pecuniæ penuriã dilapsis, Alphõsus cõdicto die ac loco per publicũ tabelliõẽ in Acta siue scripta referri iussit, per se scilicet non stetisse quo minus prœlium commiteretur.

Ditio vastata melior quam amissa.

THeobaldus Campaniæ Comes quum suam ditionem ab hostibus infessam animaduerteret, multa oppida & castella vltro ipse incendit & solo æquauit, Meliorem, inquiens, terram esse vastatam quam

quam amissam.

Quæ ciuitas vere amissa.

QVum Volaterrani Florentinis aliquamdiu rebellassent, tandem certas conditiones quibus in gratiam reciperentur, proposuerunt. Pacem eis indulgẽdam suadebat Thomas Soderinus: at Laurentius Medices & alij vi & armis ad imperata cogendos; quorum sententia quum vicisset, Volaterrani metu consternati, exercitu intra vrbem recepto, Florentinorum arbitrio sese permiserunt, à quibus mox vrbs direpta, & ciues male fuerunt accepti. Hac nunciata victoria, Laurentij amici quum in Soderinũ forte incidissent, Numquid te, inquiunt, cõsilij tui prioris pœnitet? Volaterram enim recuperatam audisse te arbitramur. Tum Soderinus: Mihi quidẽ iam demum illa amissa videtur. Si enim in gratiam fuisset recepta, & vtilitatem & securitatem huic nostræ præstare posset Reipublicæ; at quũ ea iam vt vi capta est, ita vi & præsidio tenenda ac custodienda sit, quid aliud nobis adfert quam in bello, sollicitudinem & metum; in pace vero, sumtum & damnum?

Obedi-

Obedientia in milite necessaria.

NVllam virtutem in milite Fridericus Vrbini Dux tantopere requirebat quam Obedientiam.

Robertus quidem Salernitanus Princeps aiebat, Malle se vt miles ad hostem transfugiat, quã in suis castris cõtumaciter se gerat.

Prosper Colũna magni nominis dux, Imperitos milites, sed obedientes, peritis & inobedientibus præferebat.

Pecunia neruus belli.

IOannes Iacobus Triyultius à Franciæ Rege rogatus, Quidnam primum esset earum rerum quæ ad bellum requirerentur? Pecunia, inquit. Quodnam secundum: Pecunia. Quodnam tertium: Iterum Pecunia: innuens vt in ceteris rebus, ita in bello quoque *Pecuniæ obedire omnia.*

Imperatorem vero Carolum V. dicere solitum ferunt, Ad bellum gerendum tria esse necessaria, Pecuniam, Comeatum, & Militẽ. Se tamen si bonum habeat militem, duo reliqua ab ipso hoste consequuturum.

Amurath Rais nobilis inter Turcas archipirata, Nihil mirum esse aiebat, quod Turcæ totac tantas res bello gererent, vt quibus sine vllo

ne vllo defectu stipendia procedant, quum nostris Principibus in ipso initio aqua, quod dicitur, plerumque hæreat.

Non arma sed manus.

GEorgius Castriota quē vulgo Scanderbeg vocant, Epiri Princeps, incredibili fuit tā animi quā corporis robore, adeo vt varijs prœlijs sua ipse manu vltra duo Turcarū millia concidisse dicatur. Quū vero Mahometū II. Turcarū Imperatorē lubido tanti bellatoris gladiū inspiciēdi incessisset, misso nūcio, gratā rē sibi facturū, si eum ad se mitteret, significari iussit. Id quum Castriota fecisset, Mahometus tentata tā punctim quā cæsim acie, quū singulare nihil in eo deprehendere posset, cum Castriota quod sibi illusisset, non illo quē petierat, sed vulgari aliquo ad se gladio misso, expostulauit. Vos, inquit Castriota ad internuncios, dicite vestro Domino, me gladium meum, sed non brachiū misisse. *Multum refert à qua manu.*

Fuga militi turpis.

BAliardus nobilis militiæ dux, in prœlio lethaliter ictus, suadentibus suis vt prœlio efferri se sineret, Absit, inquit, vt iā demū in vitæ meæ fine hosti tergū obvertere incipiā. Postquā igitur acerrime dimicasset ac tādē virib. destitut⁹, equo delaps⁹ esset

suis

ſuis mandauit, vt corpus ad proximam arborem, facie hoſtibus obverſa, collocarent, & ad modum etiamnum prœliantis componerent. Huic non placuit illud Demoſthenis: *Vir fugiens iterum pugnabit.*

Ridens alium, ſæpe alijs eſt riſui.

IOanni II. Luſitaniæ Regi Eques quidam in venatione potum præbiturus, neſcio quo caſu poculum manibus amiſit. Ridentibus ijs qui adſtabant, ac homine valde erubeſcente, Rex, Deſinite ridere, inquit. Hic quidem iam poculum, numquam tamen ſcutum aut lanceam in prœlio manibus ſibi elabi paſſus eſt, vt nonnulli fecerunt quos ridentes hic video.

Scite eandem in ſententiam quidam dixit: *Accuſationem ſæpenumero non tam eius qui accuſatur culpam, quam eius qui accuſat, malitiam prodere.*

Hoſtis vbi contemnendus.

NOn inſcitum illud eſt neſcio cuius: *Hoſtem nullibi niſi ipſo in prœlio contēnendum.*

Ducis ſiue Capitanei officium.

Sfortia

SFortia Attendolus aiebat, Capitanei officium esse in bello iustam caussam sequi, a sacris locis & personis vim abstinere, pudicitiam virginum & matronarum defendere, suorum militum sanguini parcere, nec hostium strage delectari.

Virtus magni æstimanda.

DIdacus Percsius Vargas, Eques multis rebus fortiter & præclare gestis clarissimus, provecta iam ætate in villam suam sese abdiderat, reliquum vitæ ibi rusticando transacturus. Huius viri fama motus Aragoniæ Rex Alphonsus, Ferdinādi, sub quo Vargas floruit, successor, ignoto habitu, quatuor tantum ministris comitatus, & ad Xeres limitaneum oppidum profectus, quum Vargam in villa quadam sua esse accepisset, non longe ab ea, falce vites putantem vidit. Suis ergo abscondere se iussis ex equo descendēs Rex suspenso gradu accedit, & pone eum sarmenta colligit. Vargas percepto strepitu respiciens, vbi Regē agnouit, statim obortis lachrymis, ad genua eius provolutus, Siccine hoc agis, inquit, ò Rex? Quin tu, inquit Rex, in cœpto opere pergis. *Tali enim putatori talis sarmentator conuenit.*

 A Deo

A Deo victoria.

CArolus V. Imperator, diſſipatis Proteſtantium copijs, & capto Saxone, Iulius Cæſar, ait, celeriter ex ſententia confecto bello, dixiſſe fertur, *Veni, vidi, vici*; ego vero ſic dicam, *Veni, vidi, Deus vicit.* Modeſtam profecto, & Chriſtiano Imperatore dignam vocem.

Homines fortunam ſequuntur.

IDem Imperator iam ſenex, regnis omnibus Philippo filio traditis, in Hiſpaniam nauigare, & quietam ibi ac quaſi monaſticam agere vitam conſtituerat. Dum Fliſſingæ in Selandia commodum ventũ exſpectat, Seldius ad eum venit, à Ferdinando fratre legatus. Cum eo multam in noctem producto ſermone, Imperator tandem ſignum ſuis nola dat, vt ſcilicet facem aliquis, dum ille digreditur, præferret. Nemine comparente (alij enim cubitum, alij aliò conceſſerant) Imperator arrepto cereo, Seldium quamuis reluctantem, per ſcalas ipſe deducit, ac digrediens, Hoc, inquit, Seldi, olim meminiſſe te velim, eum Imperatorem qui tot ſatellitibus quondam ſtipatus, immo tot legionibus cinctus fuerat, iam ſolitarium

relinqui, & à domesticis quoque deseri, eumque cui tot annos tu seruieras, iam tibi seruire ac cereum præferre. Ita nimirum comparatum est, *Vt plures orientem solem adorent quam occidentem.*

Idem iam digredienti Seldio, *Sentio*, inquit, *Dei manum super me, cui reluctari nolo.* Potuit hic Imperator cum Ouidio dicere:

En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flauit velis aura secunda meis,
Vt fera nimboso tumuerunt æquora vento,
In mediis lacera naue relinquor aquis.

Caroli V. Imperatoris dicta quædam.

EIusdem dicta quædam sapientissima ab iis qui vitam ipsius descripserunt, celebrantur: quorum præcipua hæc sunt.

Quemadmodum Saturnus planetarum supremus omnium tardissime circumvertitur: ita Principibus conuenit nihil præcipitanter aut inconsiderate agere.

Quemadmodum Sol tam egenis quam diuitibus æquali modo ac mensura lumen dispensat; sic Principum est, sine vllo personarum respectu, subditorum caussas

examinare,& æquabili iustitiæ & clementiæ temperatione iudicare.

Sicut plerasque Solis eclipses magnæ rerum mutationes & seditiones sequuntur; ita è Principum vitijs etiam non maximis, multa & maxima incommoda ad subditos redundant.

Quemadmodum idem Sol ceram liquefacit, lutum vero indurat: sic Principum clemētia & mansuetudo quosdam meliores, quosdam vero deteriores facit.

Quemadmodum Luna quanto Soli est propior tanto minus irradiatur: sic nonnulli quanto magis Principibus sunt familiares, tanto minus locupletantur.

Sicut Luna res inferiores, non quod maior eius vis sit quam Solis aut reliquorum planetarum, sed quod à terra propius absit, præcipue mouet ac mutat: sic tam belli quā pacis tempore multum interest vtrum Princeps præsens sit vel absens.

Quemadmodum fulmina quædam æs & ferrum liquefaciunt, non tamen ceram, aut mollia: sic Dei & Regis manus superbos ac feroces domat, humilibus vero & subiectis parcit.

Tantus hic quantum pauca retro sæcula viderunt Imperator, en quam ignobili Epi-

taphio

taphio,& cum ſymbolo ipſius, *Plus vltra*, parum congruenti decoratus ſit: quod quidem vti alij adſcripſerunt, exſcribo.

Carolus Quintus Hic iacet intus,
Ora pro eo bis aut ter Aue Maria & Pater noster.

Inſigne ingratitudinis & humanæ viciſſitudinis exemplum.

BEllisario Imperator Iuſtinianus inuidorum calumnijs inductus, oculos effodi iuſſerat; parum memor, huius vnius continuatis fere victorijs regnum ſibi conſeruatum. Ad miſeriam hanc ſumma acceſſit egeſtas, vt vir ætate illa clariſſimus, & paullo ante Orientis atque Occidentis ſpolijs ſuperbus ſtipem (quis credat) oſtiatim mẽdicare cogeretur, his plerumque verbis vtẽs: *Date obolum, ob Dei amorem, Belliſario, quem propria virtus clarum, aliena vero Inuidia cæcũ fecit.*

Humanæ vitæ miſeria.

Saladinus innumeris fere potitus victorijs, quum iam vitæ metam attigiſſe ſe animaduerteret, poſt mortem ſuam linteum haſtæ impoſitum per vniuerſa caſtra

circumferri iussit, proclamante præcone: *Saladino, Syriæ, Iudeæ, & Ægypti, &c. Regi, ex omnibus victorijs, tropæis, opibus, thesauris, nihil nisi hoc reliquum mansit.*

Omnia initia tenuia.

AD Maximilianum II. Imperatorem quidam venerat, rogans vt veteres scripturas & archiua, vt vocant, domus Austriacæ inspiciendi sibi copiam facere vellet; quippe qui illius originem ab antiquissimis vsque temporibus deducere constituisset. Quæ caussa, inquit Imperator, ad hoc institutum te impellit? Desiderium, ait alter, Vestræ Maiestati & vniuersæ Serenissimæ Austriacæ familiæ inseruiendi. Tum tibi, inquit Imperator, laboris huius & seruitij gratiam lubens facio: siquidem periculum est ne nimis accurata illa diligentia tandem sutorem aut eiusmodi aliquem familiæ nostræ conditorem exterebres. Quo quidem responso mansuetissimus Imperator eorum vanitatem irrisit, qui à Troianis & nescio quibus originem suam repetere volunt.

Natalium obscuritas nemini probro est.

Isaac

ISaac humili loco natus, sub Baiasite Turcarum Imperatore militari virtute summos honores consequutus, tantum abest vt natalium obscuritatem sibi probro duxerit, vt etiam in atrio, vbi caussis audiendis operam dabat, ligonem suspensum semper præ oculis habuerit, eundemque filiis suis crebro commonstrarit, hæc verba inculcans: Ecce prima stirpis vestræ arma & insignia, quæ quotiens adspicitis, & gentis meæ ignobilitatem cum summa quo iam fungi me videtis, muneris dignitate comparatis, totiens calcaria vobis addi putate, vt & ipsi vestra virtute vos Imperatoris nostri liberalitate & beneficentia dignos exhibeatis.

Nobilitas an doctrinæ præferenda.

SIgismundus Imperator, Consiliario vsus est Iurisconsulto quodã Georgio Fiscello, quem & equestri dignitate ornauit. Is vna cum Imperatore ad Concilium Basileense profectus, quum aliquamdiu dubitasset, vtrum Doctorum siue Iurisconsultorum, an vero Equitum collegio sese aggregaret, tandem cum Nobilibus vt honoratioribus consedit. Imperator ibi hominem conspica-

conspicatus, ò te stultum, inquit, qui Milites siue nobiles Doctis præferendos censes. Mihi quidem è gregarijs militibus vel mille Nobiles & Equites vno die creare facile est; at vel mille annis vnum Doctorem non fecero.

Doctrina quanti facienda.

RObertus Rex Neapolis, & Siciliæ, cum Petrarcha aliquando ambulans, *Iurato*, inquit, *hoc mihi crede, hoc quantulū cumque in me est eruditionis, mihi regno meo carius esse; ac si alterutro carendum sit, malle me corona quam libris meis carere.*

Alphonsus Rex diuitem indoctum *Pecudē auream*, Regem vero indoctū, *coronatum Asinum* nominare solebat.

Idem tanti doctrinam faciebat, vt sæpe, quemadmodum Robertus supradictus, iuramento affirmarit, malle se & regni & omnium opum quam doctrinæ iacturam facere.

Quum eo præsente quidam diceret, ex Hispaniæ quodam Rege sæpe auditum esse, *Eruditionem Regibus & Principibus parum conuenire*: Alphonsus, *Hæc bouis*, inquit, non hominis vox est.

Æneas Syluius, qui ad Pontificatum euectus,

ctus, Pij II nomen postea vsurpauit, illud frequenter in ore habuit: in plebeio homine doctrinam argento; in Nobili, auro; in Principe aut Rege, meris gemmis æquiparari posse.

Doctrinæ contemtores.

NOn sic sensit Ludouicus XI. Franciæ Rex, qui filium suum ita instituti voluit, vt illa tantum & non plura verba Latinæ linguæ intelligeret, *Qui dissimulare nescit, nescit regnare.*

Sic Licinus Imperator Eruditionem siue doctrinam *Pestem & venenum Principum* appellauit.

Quid vero hoc in his omnis litteraturæ expertibus mirum? quum etiã vnus qui Nobilitatem & omnia sua litteris debuit, easdẽ hoc elogio, digna scilicet antipelargia, honorarit. *Ego vero*, inquit, *nil pestilentius hominum vitæ, animarumque nostrarum saluti posse contingere arbitror, quam ipsas artes ipsasque scientias.* Fateor si quis ita vti ipse vsus est, vti ijs velit.

Hos & omnes litterarum osores ad Antæum Scytharũ Regem ablegabimus, qui hinnitum equi quam Musicum concentum lubentius se audire dicebat,

Doctrinæ iucunditas.

CArolus IV tanto doctrinæ studio & amore tenebatur, vt doctis viris audiendis sæpe integros dies impenderit. Quum aliquando in Academia Pragensi disputationi interesset, eaque iam vltra quartã horam esset protracta, Aulici quidam accedentes, Prandij tempus iam dudum esse monent. At ille: *Mihi quidem prandendi tempus nondum est. Vos prandete, si lubet. Mihi hæc disputatio magis sapit quæm nectar aut ambrosia.*

Alphonso libros Ciceronis De officijs legenti Musici ad fores cubiculi occinere cœperunt. Tum Rex, *Facessite procul hinc cum vestra Musica. Meas quidem aures & animum multo dulcior Siren iam occupatum tenet.*

Iocus in Iurisconsultum.

QVum in sermone hominis non valde docti, qui tamen pro Iurisconsulto sese venditabat, mentio inter quosdam incidisset, Mihi inquit, Laurentius Gualterutius, Doctor hic noster inquit, Necessitati similis videtur, Rogantibus, Qui sic? *Quia sine Lege est*, inquit.

Par

Par pari.

POetices Leo X Pontifex & ipse studiosus, & liberalis fuit Mæcenas. Erat tum Romæ inter ceteros quidam Andreas Maro, qui ob expromtam condendi carminis vel potius versificandi facilitatem, quum stans pede in vno flueret lutulentus, & multos ex tempore versus recitaret, Archipoetæ nomen consequutus fuerat Is quum ad Pontificem venisset, ab eo inuitatus, sequentem versum gloriabundus, nihil arrosis vnguibus, effudit:

Archipoeta facit versus pro mille Poetis.

ibi Pontifex non minus facili vena sequens Pentametrum subiunxit:

Et pro mille alijs Archipoeta bibit.

Ministrorum quorundam insolentia facete reprehensa.

PEtrus Aretinus Italus Poeta in omnes fuit dicacissimus, adeo vt Regibus etiā & Principibus non parceret: è quibus nonnulli non tam ob doctrinam, quam vt à morsibus eius tuti essent, annuam ei pensionem, tamquam offulam obijciebant. Is

Carolum V. Imperatorem Genua in Hispaniam soluentem officij caussa ad naues comitatus, Imperatori valedicenti, & vtrum quid aliud vellet roganti, Nihil, inquit, aliud hoc tempore peto, quam vt Vestra Excellentia, Marchionis Vastij Maiestati mādare velit, vt sua Maiestas mihi annuā pensionem, quā Vestra Excellentia mihi Mediolani assignauit, persoluat.

Titulorum insolentia.

VIllargeus non minus nobilis quam doctus & facetus Eques, Emanuelis-Philiberti Sabaudiæ Ducis nomine apud Maximilianum II. Imperatorem Legati munere aliquamdiu cum laude functus, à Principe suo domum reuocatus, Imperatorem die pluuioso & nubilo valedicendi caussa accesserat Imperator, Quæ te, inquit, necessitas tam obscuro & nubilo die iter ingredi cogit? Tum Villargeus, Nubes, inquit, istas obscuras nihil metuo, quum tam Germaniam quam Italiam Maiestas Vestra multiplici Serenitate impleuerit. Indicans eorum Principum multitudinem qui titulum hunc vsurpant.

Alphonsi Ferrariæ Ducis Secretarius eiusdem Ducis iussu ad dominum quendam in Italia

Italia litteras ſcripſerat. Non ignarus vero quam vane ea in re quidam curioſi ſint, adeo vt ſi vel apex à titulo quem ipſi ſibi vindicāt, abſit, ipſas ſtatim litteras reijciant & remittant, vel certe tamquam inſignem iniuriam ſibi factam interpretentur, Ducem adit, & de titulo litteris inſcribendo rogat. Dux, *Magnifico*, ait inſcribe. At ille: hoc inferius hominis huius conditione aliquantum videtur. Ergo, *Illuſtri*. Et hoc, ait Secretarius, parum conueniens eſt. Tum Dux indignabundus, Quin cenſeo, inquit, vt ei Domini Dei titulum adſcribas.

Sixtus V. Pontifex ex obſcuris natalibus ad Pontificatum euectus, per iocum ex Illuſtriſſima domo originem ſe ducere aiebat. Eam enim in qua ipſe natus ſit (in Monte alto ignobili oppidulo) per mille rimas & fiſſuras admiſſo ſolis lumine, totam vno momento colluſtrari.

Iuuentus ſtulta.

MAximilianus I. Imperator dicere ſolebat, Iuuenem quemcunque ſeptem ad minimum annis ſtultum eſſe: eo ſeptennio ſi quid prudenter aut ſapienter fecerit, aliud ſeptennium de nouo ſtultitiæ dandum. Illud, credo, dicere voluit, omnia habe-

nia habere ſuum tempus: nec nobiscum naſci Sapientiam, ſed vſu & experientia acquiri: vt qui ante tempus ſapiat, cum rurſus ante tempus oporteat deſipere.

Eodem ſenſu quidam eos qui ebrij valde ſapiant, ſobrios deſipere non inſcite dixit.

Facetum cuiusdam factum.

REx quidam in aula ſua hominem alebat, eum tantum in finem vt ſi quid ridiculè aut ſtultè factum eſſet, in Commentarios referret. Incidit negocium, vt Regi nuncio opus eſſet, qui litteras quam citiſſime Romam perferret. Pleriſque ob nimis breue tempus præſtitutum, tergiuerſantibus, ac nihil certi promittentibus, tandem quidam prodit qui intra præfinitum tempus id facturum ſe recepit. Rex lætus, continuo homini mille ducatos numerari, & quantocyus eum expediri iuſſit, ea conditione vt ſi promiſſa non impleret, pecuniam omnem redderet. Factum hoc quum Commentator ille in librum ſuum retuliſſet, Rex accerſit hominem, cur ita fecerit rogat. Eam ob cauſſam, inquit ille; quod vt intra tempus conſtitutum Romam quis perveniat, fieri non poteſt: tum quod mille ducati numerati ſunt, vbi centum ſatis fuiſſent. Tum Rex, ſi ille

quod

quod promisit non præstiterit,& pecuniam, vti conuentum,est,mihi reddiderit ,æquum erit vt totum hoc quod scripsisti inducas, & è libro deleas.Equidem,ait alter , vestrum hoc factum scriptum manebit , quoad ille pecuniam vobis reddiderit : quod si fecerit, inducto vestro,stultum illius factum adscribam.

Ars arte delusa.

PAtauinam præfecturam Gabio Grimano Serenissimæ Venetæ Reipublicæ nomine administrante, Studiosi quidam tenebrionem pannosum & famelicum decem scutatis conductum,subornarunt ,vt dicto Præfecto è templo exeunti occurreret, cum osculo manibus impresso salutaret , ac tandem fratrem appellaret. Hac salutatione & verbis nihil omnino commotus Grimanus , comiter eundem resalutat, & secum in prætorium ducit : vbi intellecta totius rei serie , portas vrbis statim obserari iubet , & Studiosos omnes quorum consensus ad hanc rem intervenerat,ad se vocat. Quum illi comparuissent, sereno vultu , Ipsorum , ait , comitate & diligen-

& diligentia sibi hodie fratrem repertum, sed adeo egenum & nudum, vt ad eum, vti fratre dignum sit, ornandum, non paucis numis opus sit. Velle igitur, vt quandoquidem ipsi in fratre reperiendo non leuem adhibuerint diligentiam, iam quoque in eo exornando, pari vtantur liberalitate, ac singuli certam pecuniæ summam statim dependant. Excusare illi se, deprecari, obsecrare denique vt quod ioco & iuuenili lascivia commissum esset, indulgeret: at ille pertendere, opus esse fratri veste, sumtu. nec prius abeundi illis copia facta est, quam centenos scutatos nudo illi singuli numerassent.

Optimum consilium Turcam oppugnandi.

BOnoniensis quidam è plebe Vanesio Adriani VI. Pontificis domestico nunciari iusserat, habere se rem secretam ad Christianæ Reipublicæ vtilitatem in primis pertinentem, quam Pontifici coram indicare statuerit, si viatico iuuaretur. Quid fit? Accepto viatico, Romam venit: ad Pontificem introducitur. Secretum exspectas? Id fuit: ad euertendum Turcarum imperium, & magno terrestri exercitu, & classe quamoptime

time instructa simul opus esse. Ioco dictum hoc putabis; at profecto ea in re nemo quisquam melius consilium dederit, aut maius secretum revelarit.

Vbi multa, ibi vnum quoque peccare licet.

DEfuncto quodam apud Venetos militum præfecto, tubicen quidam munus id à Senatu petijt. Cunctis hominis effrontem audaciam mirantibus, Ne vos, inquit, tantopere quod petij miremini. Video enim quotidie tam multa præter omnem rationem fieri, vt in illorum numero hoc quoque locum habere posse existimem.

Fures non facile defendendi.

THoma Moro in Anglia pro tribunali sedente, crumenisecæ aliquot & id genus furtifici homines producti sunt & accusati. Ibi Assessorum vnus, vir grauis & senex, eos qui reos illos accusabant grauiter reprehendit, quod in custodiendis crumenis & alijs suis rebus tam negligentes fuissent, atque ita furto occasionem ipsi præbuissent. Huius importunitate offensus tum Morus, iudices

iudices dimisit, sequenti vero nocte vnum ex cleptis illis ad se adduci iussit, & quid fieri vellet commonstrauit, impunitate, si id fecisset, promissa. Sequenti die Morus iterum pro tribunali sedens, primum eum quicum ante egerat, produci iubet. Multorum furtorum accusatus, facilem ait sibi fore purgationem, modo vel ipse Iudex, vel Assessorum aliquis secreto aures sibi præbere vellet: revelaturum enim aliquid quod ipsorum omnium interesset. Tum Morus vnum ex Assessoribus eligendi potestatem fecit: ille vero seni illi hesterno suo Aduocato, rem omnem aperturum si dixit Sic igitur cum illo seorsim abscedens, auri nescio quid insusurrat, interim vero marsupium eius quærit, & inventum aufert. Illo iam ad subsellium reuerso, Morus hominem in carcere attineri ait, qui fame periret: ei rogare vti Assessores parua stipe subveniant. Sic igitur singulis manum ad crumenam admouentibus, senex quoque ille marsupium suum quęrit, eoque non inuento, vehementer commotus, rem indignam exclamat, crumenam sibi nescio quomodo periisse, & eo ipso in loco vbi ius dicitur, furto ereptam. Tandem Morus rem omnem ei exponit, monens ne posthac tam acerbe reprehenderet eos quibus

tale

tale aliquid contingeret; neve furum & crumeniſecarum ſuſciperet patrocinium.

Sceleſti vndique excludendi.

IDem Morus quum ſceleſtum hominem è carcere evaſiſſe audiſſet, cuſtodi ad ſe accerſito, Tu, inquit, vide vt carcerem diligenter obſeres, ne homo ille nequam rurſus forſan irrepat.

Idem deinde ipſe in cuſtodiam datus, cum multis alijs apud cuſtodiæ præfectum cœnans, eidem victus tenuitatem excuſanti, & vt eo quod appoſitum eſſet contenti eſſe velint, roganti, Pol, inquit, qui hiſce contentus eſſe non velit, is dignus ſit quem ſtatim hinc eijcias, tamquam non dignum.

Idem quum in carcere tandem libri omnes & chartæ ablatæ eſſent, feneſtras omnes tam interdiu quam noctu diligenter occluſas habuit. Cauſſam præfecto roganti, Mercibus, inquit, ablatis, & negotiatione prohibita, officina omnino claudenda eſt.

Et stulti sapiens sæpe verbum.

FRancisco I. Franciæ Rege (alijs etiam idem adscribi non nescio) ad Italicam expeditionem sese accingente, inter duces & consiliarios diu disceptatum fuit, quænam potissimum via esset ingrediendа. Id deliberari audiens quidam Amaril nomine, quo Rex pro morione vtebatur, Mihi, ait, ò Rex, consilia hæc vestra minime placent. Cur ita? Rex inquit. Eò, respondit ille, quod omnes consultant quomodo Italiam ingredi; at nemo quomodo rursum inde egredi queamus. Periculum ergo est ne manendum ibi nobis sit. Si verum hoc est, augurium sane fuit, Rege eo in bello ad Ticinum capto. Nimirum *non olitores tantum, sed & stulti sæpe opportuna loquuntur.*

Consiliarijs non nimis indulgendum.

SElimus I. Turcarum Rex, contra patris & prædecessorum morem, barbam radere solebat. Cur id faceret rogatus, Ne, inquit, Consiliarij, vti patri meo fecerunt, me barba arreptum, quo velint circumducant. Notum est prouerbium.

Non omnia omnes decent.

CAstrucium Castracanum Lucensem virum magnæ auctoritatis, ad cœnam ab amico vocatũ, cui multæ matronæ & virgines intererant, saltando & tripudiando pæne modum egressum, & quasi sui oblitum, quidam clam monuerat, vt paullo maiorem dignitatis suæ rationem haberet. At ille, Tace, inquit, frater, nescis tu eum qui per diem sapiat, noctu desipere, neminem crediturum. Vulgare apud nos est prouerbium, *Ei qui mane surgere perhibeatur, in multũ vsque diem stertere licere.*

Argutum responsum.

TRipoli, quod est celebre Syriæ emporium, Turca quidam cum nobili Veneto de religione differens, inter alia, Mihi, inquit, illud valde mirum, immo detestandum videtur, quod quum Crucem pro re tam sacra habeatis, eandem tamẽ ita prostituitis, vt etiam in angulis ædium passim & angiportibus, tamquam monitrix ne quis aluum ibi deiiciat, aut vrinam reddat, collocetur. Hic Venetus, At scito, ait, tres Cruces esse. Vna est in qua Saluator noster Iesus Christus passionis nostræ mysterium peregit: &

egit:& hanc vtpote precioso eius sanguine conspersam nos honoramus & veneramur. Altera illa est, in qua bonus ille latro, à Christo D.N. in paradisi consortium adscitus, pependit: hancque nos funeribus nostris & exsequijs præferimus. Tertia vero est in qua impius ille latro siue sicarius iustum supplicium sustinuit: quam nullo in precio aut honore habemus, eoque tam vili ministerio adhibemus.

Præsenti ære mercandum.

Simo Cronaca Architectus Florentinus, pro insigni officinæ suæ, vti moris passim est, tabulā in qua libri quidam igni impositi depicti erant, suspendit. Si quis forte eum accesserat, rogans vt opus aliquod sibi facere vellet, ita tamen vt mercedem post tempus aliquod peteret, Libros suos ardere aiebat, nec se posse vllum in eos debitum referre.

Quisque sibi sapit.

IOannes Menesius, qui idem Tarocæ erat Comes, ab Emanuele Lusitaniæ Rege, quēnam potissimum classi contra Turcas Venetis auxilio mittendæ præficeret sententiam rogatus, Ego censeo, inquit, munus hoc aut Ioanni Menesio, aut Tarocæ Comiti, aut

Mihi

Mihi demandandum.

Quantum prosit sæpe argutum commentum.

APud Peruanos moris est, vt defuncto Principi, è ministris quidam tamquã comites addantur, qui scilicet in altero illo Mundo eidem seruiant, & consueta exhibeant ministeria. Lusitanus quidã, altero oculo orbatus, & a barbaris captus, hero suo aliquamdiu diligenter ministrauerat: quo mortuo, summo erat in periculo, ne eum comitari cogeretur; quod tamen arguto commento discussit & euasit. Aiebat, eos qui in altero illo Mundo sunt, vbi herum suum viderint tam deformi ministro comitatũ, minus honorifice de eo eiusque statu & conditione censuros: melius ergo fore si ministrũ ei addant omnibus membris integrum. Quæ ratio quum barbaris iusta videretur, alia veluti succidanea hostia defuncto data fuit. *Ita & damnum sæpe prodest.*

Non facile fidendum.

QVum nescio quis Laurentio Medici dixisset. Hieronymum Riarium Comitem Imolam Regi, Regem vero eidem Ducatũ in regno suo dare cõstituisse;

Videat

Videat ille, inquit, ne falſum Ducatum accipiat.

Eadem argutia Bartholomæus Colionus Venetæ militiæ præfectus adverſus Franciſcum Sfortiam vſus eſt. Quum enim hic miſſo Simonetta, eum vt ad ſe redire vellet, inuitaſſet, Colionus vero quietam deinceps vitam agere ſibi conſtitutum dixiſſet: Simonetta, At ſcin tu, inquit, quid herus meus dicturus ſit. Te nimirum magnũ eſſe & fortem hominem, at qui millenis aliquot Ducatis vinci ſe paſſus ſit. Dicat ille, inquit, quod vult: hoc ſi dixerit, tu ei meo nomine dicas, multo turpius feciſſe, qui non millenis aliquot, ſed vno Ducatu vinci ſe paſſus ſit. Alluſit ad Ducatum Mediolanenſem, cui inhians Sfortia, ad defenſionem eius adſcitus, medio bello contra eos quos tuendos ſuſceperat, arma conuertit. *Si dices quæ vis, audies quæ non vis.*

Præpoſtera ædificandi ratio.

FRanciſcus Medices Laurentio cognato palatium à ſe nuper exſtructum, ſed ſæpius hic illic mutatum, factum ac refectum, monſtrabat. Laurentius ſubridens, Alij, inquit, ſecundum formam ſiue modulum deſcriptum ædes faciunt, tu vero ex ædibus

bus toties factis & refectis modulum desumsisse videris.

A sacris manus abstinendæ.

CAmeracum negocij cuiusdam caussa Marusinum hominem militarem Ludouicus XI. Franciæ Rex, ablegarat. Quum inde Marusinus insigni torque aureo, qui ex sacro auro Ecclesiæ Cameracensis reliquijs detracto confectus dicebatur, donatus reuertisset, & quidam Marusini sodalis, eius inspiciundi gratia manus admoveret, Rex, Caue, inquit, attingas: res enim sacra est.

Idem Benniensis monasterij Abbatem rogauerat, vt Abbatia sua cederet. At ille, Quadraginta, inquit, annos primis duobus Alphabeti litteris A.B. (Galli enim sua lingua *Abbe* Abbatem dicunt) discendis insumsi, quæso vt duabus sequentibus, nimirum C. D (*Cede*) discendis, totidem annos mihi concedere velis.

Nimia familiaritas Principi indecora.

FRidericus Vrbini Comes tam carus erat subditis suis, vt quacumque iter faceret, ab effusa vndique vtriusque sexus

omnis ætatis multitudine, cum plausu & lætitia exciperetur: quam quidem ille beneuolentiam singulari ac pæne indecora Principi comitate alebat, non modo neminem à colloquio suo excludens, verum etiam vltro obuios compellans, & pileū quasi continuo manu tenens. Hinc Octauianus Vbaldinus, Comiti familiaritate & necessitudine cōiunctus, si quando hominem valde negociosum & festinantem conspiceret, eū Comitis Friderici pileo occupatiorem esse dicebat. *Nimia familiaritas parit contemtum.*

Quemmodum Principes in recreationibus tenere debeant.

FRidericus II. Daniæ Rex, præter multas regias virtutes grauitatē comitatē ita temperare nouerat, vt nec maiestas odium, nec humanitas contemtum ei adferret. Is quando cum familiaribus animum recreare volebat, quasi deposita Regis persona, Agite, inquit, amici, ludamus, ineptiamus, & animum plane soluamus, dum Rex abest. Sic igitur tamquam priuatus inter priuatos aliquamdiu lusui & iocis indulgens, vbi satis iā lusum ei videbatur, quasi assumta iterum Regis persona, vultu ad grauitatem composito,

Ohe,

Ohe, aiebat, satis est: iam Rex redijt. Quo dicto, confestim omnes summa cum modestia & silentio adstabant, iussa regia exspectantes.

Alter altero carere non potest.

COnsultatione habita, Vrbinates decretum fecerant, Ne rusticanis & villaticis domũ in vrbe habere liceret: idq; à Comite Friderico vt confirmaretur, petierant, hanc præcipue rationem allegantes, Ciuitatẽ ciuium esse debere. Comes, prudentia ciuium laudata, Vnum, inquit, antequam decretum promulgetur, à vobis scire cupio, quid scilicet rusticanis respondere debeam, si ad me forte venerint, & dixerint, quemadmodũ Ciuitas ciuiũ, ita Rus, rusticorũ esse debere; sicque aliud ipsi à me decretũ petierint, vt sicut Rusticis in Ciuitate domũ habere non licet; ita Ciuibus Ruri prædiũ vllũ possidere nõ liceat. Illis obmutescentibus, egregiũ hoc decretum prius abrogatum fuit quam promulgatum.

Ministrorum aulicorum negligentia dominis sæpe imputatur.

IDem Comes aulæ Præfectum habuit, ad soluenda etiam ipsius Comitis nomine contracta debita valde tardũ. Inter alios creditores mercator quidã, aulicæ familiæ

Comitis vestem præbere solitus, quum Præfectum sæpius frustra appellasset, tandem ipsi Comiti rem omnem exposuit. Comes, Optimum fuerit, inquit, vt in ius me voces. Mercatore hoc se facere nec posse nec velle dicēte, Quin tu facis, inquit Comes, quod volo neque enim est vt metuas ne ego irascar: immo quidquid hac in re fiet, non ad alium finem quam ad tuam ac reliquorum qui necessaria aulæ nostræ præbent, vtilitatem spectabit. Atqui, inquit mercator, vbi tabellionē aut lictorem inueniam qui hanc denunciationem facere ausit, Tum Comes statim vnum è suis ministris ad præfectum iuri dicundo ablegat, & quid fieri velit mandat. Constituto die Comiti cum omni familia è palatio prodeunti, tabellio occurrit, eumque in ius vocat, edito actoris nomine. Ibi Comes circumspectans, aulæ Præfectum ad se vocat, inquiens: Audin tu quid hic dicat? Fac si sapis, ne quotidie ob æs alienum iam ab hoc iam ab illo vadimonium mihi deferatur. Ex quo omnes quibus Principis nomine aliquid debebatur, liberam sibi adeundi, & debitum poscendi potestatem esse intellexerunt.

Vis iuuenum, consilia senum.

LVdouico XII. de bello Venetis inferẽdo deliberanti, quidam negocij difficultatem proponens, dixerat, Rempublicam illam à multis prudentissimis Senatoribus administrari; eoque non facile contra eos bellum suscipiendnm. Ludouicus, Habeant illi, inquit, senes suos prudentes; ego vero tot stultos adolescentes cum illis committam, vt parum in Sapientia sua præsidij sint habituri.

Libere dictum libere acceptum.

FLorentiæ ciuis fuit, opulentus quidem, sed in victu, vestitu & omnibus rebus perparcus. In eum quum Cosmus Medices aliquando incidisset, & quod tam parce ac pæne sordide viueret, reprehendisset, rógans Quem in vsum tantas opes congereret, si vti ijs nollet? Ille mordaciter, Eò inquit, vt quando tributum à Vestra Excellentia imperatum fuerit, habeam vnde id soluam. Huius dicti libertate nequaquam offensus est Cosmus, sed quod tributum aliquando ciuibus imperaret, id non nisi summa necessitate se coactum facere excusauit.

Liberalitas hoc tempore inusitata.

EObani Hessi quam magnum fuit ingenium, tum insignis in Poetica arte facultas. Ei aliquando Nobilis Gualterus nomine, duos boues promisit, si dum equum ipse ascenderet, versum ex tempore componeret. Tum Eobanus sine vlla mora in ipso vestigio versum hunc protulit:

Ascendat Gualter, veniat bos vnus & alter, atque non multo post promissos sibi boues accepit.

Facilis Principibus est excusatio.

IN Italia Princeps domino siue toparchæ vicino magnam ditionis partem eripuerat: hocque suum factum circummissis vndique ad reliquos Principes litteris, & processu contra miserum illum formato, excusarat. Quum inter alios idem ad Ferdinandū Medicem magnum Hetruriæ Ducem eo nomine legatum cum litteris misisset: Dux legatum per dies aliquot honorifice tractauit, ac tandem eum litteris dimisit, in quibus nihil præter verba, vt inter Principes moris est, beneuolentiæ & officij plena, perscriptum erat; ijsdem vero litteris adiunctus erat contra

legatum

legatum illum processus, vt vocant, quo is homicidij Florentiæ commissi arguebatur, Vocatus hic ad Principem, inspecta scriptura, testimonijs & quæ eo pertinent, primum admiratione obstupuit: mox per omnia sacra deierauit, falso se eius criminis insimulari, immo nihil tale vmquam sibi in mentem venisse. Tum Princeps de legati innocentia nihil dubitans, statim Ferdinando rescripsit, mirum sibi videri inquiens, quod ministrum suum tam enormis, sed conficti criminis insimulare non dubitaret. Ad hæc Ferdinandus ita respondit *Facile esse cuivis Principi in suo imperio, quemcumque, etiam bonum & innocentem, non accusare solum, sed etiam condemnare.*

Non impediendum Iudicis officiũ.

IAcobo Cauiceo Ferrariensi Eques quidã magnæ auctoritatis obstitit quo minus libere exercere munus suum in re quadam posset. Cauiceus palatium, ac deinde Principis cubiculum ingressus, etsi Principem cum multis alijs adstantibus præsentem videret, nihilominus vbi Princeps esset, quæsijt. Tum Hercules, Non ego sum Princeps? Non pol, inquit Cauiceus, sed is arbitror qui iustitiam & iurisdictionem

 dictionem

dictionem impedire potest, Princeps est. Subrisit Dux, ac statim ne quis vllum ei impedimentum in munere suo exercendo adferret, edixit.

Idem duobus de re nihili litigantibus, ad circumstantes, Numquid horũ alter, inquit, hircum mulgere, alter cribrum supponere videtur?

Quærenti cuidam, pluresne viui essent an mortui? Viui, inquit: mortui enim non sunt.

Alij de rebus invisibilibus multa blateranti, Dic mihi, inquit, quid illud sit quod non videt; & si videat, non amplius futurum sit. Illo hærente, Cæcus est, ait, qualis tu es, qui non videt; ac si videret, non amplius cæcus futurus sit. Sic tu si mores tuos peruideres, teque ipsum nosceres, sine dubio operam daturus esses, vt quasi in alium hominẽ te transformares.

Cuidam artem suam iactanti, & in ea se Primum & quasi Solum esse dicenti, Tu, inquit, si Primus sis, solus esse non potes; sin solus, iam non es primus.

Procax postulatum.

AB Hispaniarum Rege Philippo II. quidam multorum stipendiorum miles

miles mercedem petierat, cui Rex trecentos ſcutatos annuos dari iuſſit. Non multo poſt idem redit, & iterum quid petit. Rex, An non, inquit, ante paucos menſes trecentos tibi ſcutatos numerari iuſſi. Fateor, ait miles, at ij pro cibo ſunt: quod iam peto, pro potu erit. Rex hominis ſinceritatem ridens, prius beneficium nouo cumulauit.

Amamus etiam loca, ob beneficium.

LAdislaus Rex Neapolis, amiſſo regno, Caietam ſe recepit, ibique communi ciuium ſumtu aliquamdiu fuit ſuſtentatus. Recuperato deinde regnō, idē Caietanos tanto amore & beneuolentia proſequebatur, vt nemini qui ab ipſo aliquid peteret, quidquam negaret. Hinc agaſonis cuiusdam iocus, Felicem aſinum ſuum fore dicentis, ſi Caietæ natus fuiſſet, ſiquidem Rex vel oppidi vel arcis præfecturam ei ſit demandaturus.

Periculum reſponſo diſcuſſum.

RIxa inter Gabrielem Zapatam & aliū nobilem inter ludendum orta, alter ſequenti mane Zapatam ad duellū prouocauit, vtque ad ſextam horam conſtituto

loco præsto esset, nunciari ei iussit. Quid, inquit Zapata, hoc rei sit? Dic ei qui te misit, me more meo ante vndecimam raro è lecto surgere: inde cogita, an tam mature nidum relinquere velim, vt corpus & membra mihi mutilari sinam? Sicque ira in risum vertit.

Duellum alio modo vitatum.

GAllus Genuatem, quod in familiæ suæ, vt dicebat, iniuriam, eadem insignia vsurparet, ad duellum provocauit. nec detrectauit Genuensis, sed ad condictum locum venit: deinde Gallum rogans quid illud esset quod in clypeo ostentaret? quum Gallus bouis caput dixisset, Nihil, inquit, opus est vt armis dimicemus. Mea enim insignia non bouis, sed vaccæ caput præferunt.

Quibus iudicia & magistratus constituti sunt.

AD Neapolitani prætoris tribunal quidam adductus, quod caput alteri rupisset, tandem ad remos condemnatus fuit. Pro eo quidam intercedens, inter alia, vt tanto leuius delictum videretur, aiebat,

Homi-

Hominem illum stultum esse. Tum prætor, Recte ait: mei enim muneris est, non sapientes, sed stultos punire.

Quæ ab amicis petenda.

PVblius Rutilius ab amico vt in re parū honesta adiuuare se vellet rogatus, statim id facturum se negauit. Illo dicente, quid ergo tua mihi opus est amicitia, si amici officium mihi præstare nolis? Immo, inquit Rutilius, quid tua mihi opus est, si meis moribus parum digna à me petere velis: *Amicus vsque ad aras*: à quo *Honesta tantum petenda*.

Græciæ status hodiernus.

FRanciscus Pescion cum homine Græco varijs de rebus colloquutus, tandem Græco magnifice se inferente, ac dicente: Nescis tu cum quo loquaris. Græcia mihi quidem patria est, è qua omnis doctrina & elegantia ad reliquas nationes deriuata est. Recte ais, inquit Pescion, è Græcia tua omnem doctrinam & elegantiam deriuatam, quum earum rerum vix vllum vestigium in ea remanserit.

Stultorum plena sunt omnia.

IVlius Neapolitanus ministrum habuit, quem ob ingenij tarditatem Stultorum regem appellare solebat. Hic iratus aliquando hero, Vtinam, inquit, quem me dicis, Stultorum rex essem. Scio equidem totius orbis Monarchas me potentia longe superaturum. Immo tu ipse inter subditos meos non postremus futurus sis.

Reus argute defensus.

IN capitis iudicio Aduocatus quidam reo datus, iudices rogauerat, Annè bonum illum hominem sibi defendere per ipsos liceret. Anuuentibus illis, ad regium Procuratorem conuersus idem rogat. Quo & ipso assentiente, Facere profecto aliter non potestis, inquit, quin hominem hunc absoluatis, vtpote quem bonum esse, ipsi vltro confessi estis. Atqui boni in furcam vt agantur, minime permittendum est.

Qui totum habere cupit, totum sæpe perdit.

BOnam argenti summam quis certo loco in terram defoderat, nemine conscio, præterquam vicino quodam in-

tima familiaritate ipsi coniuncto, qui fidem non seruans, noctu thesaurum effossum, secū asportauit. Alter ille spoliatum se videns, illumque ipsum, vti erat, furti auctorem esse suspicatus, nullo tristitiæ signo ostenso, sed vultu ad hilaritatem composito, vicinum adit, inquiens, Fortunam quotidie sibi magis magisque esse propitiam, vtpote quæ nouas sibi diuitias obiecerit: eoque se statuisse sequenti nocte illo ipso in loco vbi ante thesaurum defoderat, alteros mille ducatos recondere. Vicinus tamquam vulturius prædæ huic omni inhians, quamprimum ad locum illum proficiscitur, & thesaurum ablatum reponit, postridie vnà cum alteris illis mille ducatis, & cum omni puluisculo, vt ita dicā, conuerriturus & ablaturus. At ille argentum illud prius secum domum asportauit; atque ita vulturium hunc vicinum suum lepide delusit.

Iudicia muneribus corrupta.

IVdex quidam à litigante cadum oleo plenum dono acceperat. Paullo post aduersarius eius eidem iudici porcum præpinguem dono mittit. Lata contra priorem sententia quum ille iudicem tamquam ingra-

tum & promissi parum memorem accusaret, iudex, Ne, inquit, id mirum tibi videatur. In meas enim ædes porcus irrupit, qui euerso cado, oleum mihi omne perdidit: ex quo factum est, vt doni tui plane fuerim oblitus. Ita hic vere *oleum*, quod dicitur, *perdidit*.

Tribus rebus mores hominum mutantur.

ARistoteles tribus præcipue rebus hominum naturam & mores mutari dixit, nimirum Honoribus siue nouis Dignitatibus, Vino, & Feminis. Vulgatũ est: *Honores mutant mores, sed raro in meliores.*

Aut Rex, aut fatuus.

SEnecæ illud est, *Aut Regem aut fatuum nasci oportere*. Regem quidem, vt acceptas vlcisci iniurias quis possit; Fatuum, vt omnium quasi rerum sensum abijciat, ac sine vlla cura viuat.

Cosmi Medicis ingenium.

COsmi Medicis, eius qui primus familiam suam ad pæne regium fastigium extulit, vt multa prudenter atque etiam astute facta, ita multa quoque sapienter

& as-

& argute dicta celebrantur. Ei quũ proscriptus quidam siue exsul Florentinus nunciari iussisset, Gallinam iam ouis incubare, consilia innuens quæ contra Cosmum à se & alijs cuderentur: Atqui, inquit Cosmus, extra nidum pullos illa non facile excluserit.

Alijs nequaquam se dormire significantibus, Facile, inquit, hoc credidero, quippe, quibus somnum ego & quietem iamdudum interpellaui.

Eiusdem & hoc est, Imperia Paternostris non administrari.

Quum morti vicinus oculos fere assidue clausos teneret, vxori caussam roganti, Id eo se facere dixit, vt quod posthac semper faciendum esset, illud iam facere consuesceret.

Mendacium quod & in quibus ferendum.

PLato omne mendacium detestandum, in medico tamen aliquo modo ferendum dicebat. Notum est illud:

---Quod medicorum est,
Promittunt medici.

Æneas tamen Syluius, qui postea Põtifex

Pius

Pius II. nomine fuit, iam morti vicinus, medicis semper meliora promittentibus. *Hæc etiam, inquit, Principibus miseria est, vt ne in morte quidem assentatoribus careant.*

Mendax quid lucri faciat.

ARistoteles rogatus quid lucri mendax faceret? Hoc, inquit, vt etiam vera dicenti nemo fidem habeat.

Quibus rebus non fidendum.

LVdouicus Pulcinus elegantis ingenij homo, Sex esse dixit, quibus parum aut nihil omnino fidendum sit: tesserarum scilicet iactui, iam inveteratæ quasi prosperitati, nubibus æstiuis, serenitati hibernæ, rasuræ clericali, & mulierum pudicitiæ.

Nullius momenti quæstio facete elusa.

IVdæum quidam per irrisionem rogabat, si Sabbatho forte centum scutatos aureos inveniret, vtrum eos tollere secumque asportare vellet. Ille, hodie, inquit, Sabbathum non est, nec scutati illi vspiam comparent.

Paci

Paci quæ maximè infesta.

PEtrarcha dicere solebat, Pacis hostes quinque infestissimos apud nos habitare, Auaritiam nempe, Inuidiam, Irã, Ambitionẽ, & Fastũ siue Superbiam; quibus tamquãm seditiosis ciuibus è ciuitate eiectis, sine vlla interpellatione Pax perpetua Mundo futura sit.

Generositas Principe digna.

GVlielmus Angliæ Rex, insigni classe in Galliam traiecto exercitu, breui totam Normandiam quæ ab ipso defecerat, perdomuit, capto Elia quodam, seditiosorum duce: Is ad regem adductus, & tamquam homo nullius precij increpitus, austero vultu: At tu scias, inquit, ò Rex, Eliã hunc si adhuc liber foret, facturum, vt tota Normandia contremiscat. Rex hominem aspernatus, statim eum dimitti iussit, & facere quod posset.

Gratiarum actio parum prodest.

SImonides Poeta à quodam rogatus, vt laudes suas carmine celebraret, eamque rem gratissimam se habiturum, Duas sibi arcas esse dixit, in quarum vnam numos,

in alteram gratiarum actiones recondat. Hanc quidem ſemper inanem eſſe, nec quidquam ſibi ad vitam adiumenti adferre: illā vero omnia ad vitam neceſſaria ſibi ſuppeditare.

Si res non nobis, nos rebus.

NOn minus ſapienter quam ſcite ab Ariſtotele dictum eſt, Si res ad volūtatem noſtram minime fluant, volūtatem rebus accommodandam, nec fruſtra cum fortuna expoſtulandum.

Honores mutant mores.

BEnedictus Albizius tam nobilitate quā doctrina iuuenis clariſſimus, amicum Cardinalitia nuper dignitate ornatum, gratulationis ergo acceſſerat. Quum vero ſuperbus ille homo Albizium ſe non agnoſcere ſimularet, Albizius pro gratulatione talē orationem exorſus eſt: Pro amicitia quæ olim inter nos fuit, huc veni vt de fortuna tua, quæ ad tantum te honorem euexit, condolerem potius quam congratularer. Video enim quamprimum veſtrū aliquis ad tam altum locum aſcendit, malam quandam fortunam & viſum, & auditum, & omnes fere

ſenſus

ſenſus vobis eripere, ſic vt non tantum priſtinos amicos, verum etiam vos ipſos agnoſcere nequeatis.

Sumtus male collocati.

FLorentino quodã ſe venditante quod multa ſcutatorum millia litteris diſcẽdis conſumſiſſet, Alphonſus Pazzius, Si tu, inquit, quem reperias qui centum tibi pro eo quod didiciſti reddere velit, ſine omni cunctatione argentum accipito: innuens, doctrinam ſumtibus minime reſpondere.

Paupertas ſecura eſt.

NObilis quidam Placentinus, conſumtis fere omnibus fortunis, in magna paupertate vitam ſuſtentabat. Is noctu fures quoſdam in domo ſua deprehendens, Quid vos, inquit, ſtulti homines hic nocte aliquid inventuros putatis, vbi ego interdiu nihil inuenire poſſum?

Amoris remedium.

PAupertatem optimum eſſe Amoris remedium quidam dixit; aut certe Tempus. De vi quidem amoris Virgilius:

Omnia

Omnia vincit amor. &c.

Quam quidem Merlinus Cocalius facete, vt omnia, his versibus describit:

Heu quia troppus amor sauios mattescere cogit.
Et quis erit tantus qui hunc prendere possit osellum?
Cui paniæ nullæ, cui trappola nulla repugnat.
Cæsar erat tam brauus homo, qui subdidit orbem:
At mulier scanfarda illum subiecit amori.
Alcides validis qui spallis more pilastri,
Cascatura susum tenuit solaria cœli,
Femineam soccam, reiecta pelle leonis,
Induit, & mazzam posuit, fusumque piauit.
Fortem Samsonem qui vnguis spaccare solebat,
Dentatos porcos, tigres magnosque leones,
Tandem imbriagum vilis putanella tosauit.

Imperitia iuuenum quanta.

RVstici cuiusdã filius à patre in proximam vrbem missus quum ad flumen aliquod peruenisset, diu dum integrũ deflueret, sicque transitum præberet, exspectans, tandem vbi continuo aquam fluere vidit, domum reversus est, de eo quod sibi accidisset, parentibus conquestus. Hinc Horatius:

Rusticus

Rusticus exspectat dum defluat amnis; at ille
Labitur & labetur in omne volubilis æuum.

Pueri & stulti sæpe vera dicunt.

OLim mos fuit, & fortassis hodie quoque est, vt adolescentibus qui Canonici fieri vellent, liber Latinus, è quo versus aliquot legerent, præberetur. Accidit vero vt quum Bambergæ nobilis cuiusdam filius Noui Testamenti librum eam ob caussam in manus sumsisset, reliquis Canonicis audientibus aliquid lecturus, forte fortuna in verba illa inciderit, 1. Cor. 5. 7. *Expurgate vetus fermentum*, &c. *Sicut estis azymi*. at vltimi huius verbi peregrinitate forte lapsus adolescens legebat, *Sicut estis asini*, &c. Ibi seniores Canonici, Hoc, inquit, à viris cordatis & prudentibus audire nolumus quod nunc à puero licet inscio nobis exprobratur.

Iocus circa titulum.

GVlielmus Mantuæ Dux facetijs & iocis multum delectabatur. Is ad D. Benedicti aliquando stans, forte fortuna clericum vidit, equo prætervehentem: ad quem statim vno è ministris ablegato, vtrũ clericus esset, exquiri iussit. Tum clericus ad mini-

ministrum, Dicas, inquit *Illustrissimæ* Suæ Dominationi, me esse. Dux audiens, Propere, ait, rursus hominem roga, quis sit, vnde veniat, & an nesciat quis titulus mihi tribui soleat & debeat. Ibi clericus, Dicas *multum Illustri* suæ Dominationi, me Curatum esse siue parochum Guastellanum. Tum Dux, Abi iterum, & cur *Altitudinis* titulum (*Altezza* Italis, *Altese* Gallis) mihi non tribuat, roga. Respondit clericus, Dic *Suæ Dominationi*, me in libris meis legere, *Tu solus Dominus*, *tu solus Altissimus*. Tum Dux ridens, Abeat, in malam rem, cum omnibus suis titulis.

Doctor an Doctoratus.

QVum quidam Doctoris nomine superbiens, à Gregorio XIII. Pontifice beneficia quædam, vt vocant, peteret, Pontifex, Dic mihi, ait, vtrum Doctor sis an Doctoratus: Ad hoc enim pauca, ad illud vero plurima, quorum tu forte nihil habes, requiruntur.

Edere & furari.

A Ioanne II. Lusitaniæ Rege quidam amplius stipendium petierat. Rex quonã officio fungeretur, quærẽs quũ carnes, pisces, vinum, oleum, & alia eiusmodi ad

di ad classiariam annonam pertinentia tractare intellexisset; Quid, inquit, res istæ omnes non commodæ sunt ad victum? Sunt, inquit, sed meæ non sunt, verum tuæ; mihique de his omnibus ratio reddenda est. Abi, inquit Rex, & ede: neque enim eos punio qui edunt, sed qui furantur.

Patientia.

APud Indiæ Orientalis incolas tritum est sermone proverbium, Si patientia non fuerit, nullum Mundum; & si equi nulli fuerint, nullum bellum futurum. Tantum illi & patientiæ & equis tribuunt.

Inuidia.

TVrcæ illud frequenter in ore habent, Fieri non posse vt quicumque Inuidus vllo sincero gaudio aut voluptate fruatur: eoque Inuidiam plantę cuidam ipsis familiari, quæ quidem extra frondosa est & florida, intus vero tota putris & corrupta, comparare solent.

Poetæ.

CArolus IX. Franciæ Rex Poetices studiis mirũ in modũ delectabatur, ac Poetas caros habebat: eos tamẽ ad instar Hispaniensiũ

equarum

equarum natriendos non saginandos dicebat, ne calcitrones euaderent.

Fraudi facile velum obducitur.

INducijs inter Gallos & Anglos factis, Angli, corrupto præsidio, Guineam arcem in suam potestatem redegerunt. Galliæ Rege de violatis inducijs conquerente, Angli Negotiationem siue mercaturam (pecuniam enim pro arce dederant) inducijs minime interdictam esse responderũt. *Fide, sed vide.*

Insolentia siue superbia elusa.

QVo tempore Carolus V. Imperator Bononiæ commorabatur, vt a Pontifice Imperialem acciperet coronam, crebræ inter Hispanos milites & ciues Bononienses rixæ ortæ, ac multæ etiam cædes commissæ fuerunt, adeo vt Antonius Læua Hispanorum prefectus Pontificem adierit, rogans vt ciuibus arma gestare prohiberet.

Ibi Camillus Gozadinus, qui tum forte præsens erat, Nobis, inquit, equestris dignitatis ratione, & ad nostri contra quasvis iniurias defensionem, arma cum bona Pontificis venia & permissu, gestare licet; eaque

que quoad Pontifici videbitur, gestaturos nos spero. Quid? Læua inquit. Nos Mediolanensibus frenum iniecimus; idem Bononiensibus facere forte nō difficile fuerit. Mediolani, inquit Gozadinus, acus; Bononiæ pugiones fiunt.

Malum Caput.

AD Vrbanum V. Pontificem legatus nescio cuius in Romana ditione oppidi introductus, tanta peruicacia res quasdam postulabat, vt Pontifex tandem in hæc verba eruperit: *Malum profecto habeis caput*, quod Italica & nostrati etiam lingua in homines cerebrosos & iracundos dici solet. Tum legatus, *Fateor*, inquit: *& sane si melius haberemus caput, melius aliquanto nobiscum ageretur.*

Garrulitas odiosa.

AD eundem Auinione (quo tunc Pontifices sedem transtulerant) ægrum decumbentem, tres legati Perusini venerant. Admissi, quam fieri posset paucissimis verbis mandata exponere iubentur. Tū eorum vnus qui meditatus venerat, ne labor ei suus, credo, periret, longam admodum orationem exorsus, quamvis Pontificis aures

ac animum vehementer defatigatum animaduerteret, ad finem nihilominus perduxit. Post quam perorasset, Pontifex an quid aliud in mandatis haberent rogat. Ibi alter, qui Pontificis fastidium diligenter notauerat, Sanctissime Pater, inquit, mandatum nobis est, vt nisi quamprimum quale volumus responsum accipiamus, collega hic meus longe prolixiori oratione priora illa repetat. Audiens hoc Pontifex, legatos quamprimũ dato responso, dimisit.

Eruptio è ciuitate obsessa non facile facienda.

BErnaboue è Mediolanensium Vice-Comitum familia, Bononiam obsidẽte, Rudolphus quidam eandem quamdiligentissime defendit, vix tamen vlla vmquam, vt alias fieri solet, tentata eruptione. Id miratˀ Bernabos, qui sciret satis validis copijs Rudolphũ instructum, è captiuo caussam sciscitatur, qui varijs ex suo ingenio cõfictis, nõ multo post in vrbẽ reuersus, Rudolpho rẽ omnem exponit. Tum Rudolphus, Nõ quod res est, inquit, tu respõdisti. Abi rursus in castra ad Bernabouem, eique renuncia, Ideo Rudolphum vrbe non egredi, ne Bernabos ingrediatur.

Imagi-

Imaginarij supplicij irrisio.

IDem Rudolphus cum Florentinis capitales inimicitias exercebat. Quare irati Florentini quum ipsum nancisci nō possent, effigiem eius tanquam latronis, publico loco suspenderunt. Paullo post nihilominus ijdem belli calamitatum pertæsi, legatos ad Rudolphum de pace vel inducijs faciendis miserunt. Rudolphus qua hora legatos venturos sciebat, luculentum focum, quamvis, vtpote Augusto mense, maximus esset æstus, & prope eum lectum sibi instrui, atque in eo multa stragula veste & pellibus, se contegi iussit. Ad lectum introductis legatis, & de morbo percunctātibus Rudolphus ait, Mirum in modum se algere; vt qui tanto tempore iam noctu atque interdiu in ipsorum mœnibus nudus pendeat. Florentini irrideri se animaduertentes, statim illam Rudolphi effigiem patibulo detrahi iusserunt.

Ante, non post factum.

IDem extra Camerinam oppidum deambulans, ciuibus in arte balistaria sese exercentibus, ab imperito quodam iaculatore telo incautius emisso, non leuiter sauciatus fuit. Conijcitur statim in vincula auctor vulneris, deque eo puniendo

consultatur, multis, vt domino placerent, atrocem in miserum sententiam dicentibus: quorum vnus quum manum ei amputandā dixisset, Rudolphus, Hoc quidem, inquit, ante inflictum vulnus, salutare mihi consilium fuisset: at idem mihi iam nihil profuerit. statimque hominem dimitti & absolui iussit.

Irrisio in auctorem.

QVeraldus Petri Aragoniæ Regis consiliarius ad Fessanum Regem legatus ab eodem ad conuiuium inuitatus fuit. Iusserat vero Rex Fessanus suis, vt eum in locum vbi legatus sedebat, ad pedes eius ossa carnibus nudata abijcerent. Finito prandio subornatus quidam, amota mensa & ossium commonstrato aceruo, Quisnam lupus, inquit, hoc in loco sedit: Tum Queraldus ad Regem conuersus, Equidem, ait, ò Rex, me lupis assedisse iam video, quippe qui carnes & ossa simul deglutierint: at ego, vt hominem & hospitem decebat, carnes quidem comedi, at ossa canibus rodenda reliqui.

Paullo impudentius, Cynico tamen non valde indignum est illud Diogenis factum: cui quum conuiuantes quidam ossa, tamquā cani (professionem Cynicæ Philosophiæ irridentes)

ridentes) obiecissent, ille accedens, eos comminxit, & hoc canum esse dictitans.

Dignitas consortis impatiens.

DAuidi Vltraiectino Episcopo iam pæne decrepitæ ætatis, quidā auctores fuerunt vt Coadiutorem sibi simul & successorem viuus cooptaret. At ille, Hoc, inquit, consilij S. Antonius mihi nequaquam dederit, qui posteaquam S. Rochum sibi tamquam socium adsciuit, iam quasi pro derelicto habetur.

Par donum.

SAncium Hispaniarum Regis fratrē Pontifex Romanus, & supremum vniuersi Christianorum contra Saracenos exercitus ducem constituit, & eidem Ægypti regnum donauit, populo passim acclamāte: Viuat Sancius, Rex Ægypti. Mox Sancius ne ingratus esset, publica præconis voce, Pontificē, Baldachi Calipham, id est, supremum Babyloniæ ac totius Ægypti, &c. sacrorum præsulem declarari iussit.

Quod vinum optimum.

DIogenes interrogatus, de quonam vino omnium lubentissime biberet?

De alieno, respondit.

Non facile fidendum.

Alcibiades ad dicendam caussam è Sicilia, quo se receperat, Athenas evocatus, quum iturum se negasset, Siculus quidam, Ecquid tu, inquit, ciuium tuorum, amicorum & cognatorum iudicio diffides? Quid mirum, inquit Alcibiades? Immo hac in re ne matri quidem meæ fidem habiturus sim. Quid enim, si illa nigrum pro albo apprehẽderit? Niger enim color damnationis, albus absolutionis signum erat.

Nihil violentum diuturnum.

Dionysius Siciliæ tyrannus filium ob vim nobili puellæ illatam acerrime obiurgans, Quid tu, ait, an vnquam simile aliquod facinus patris tui audisti? Cui filius, Non enim pater tuus Rex fuit. Hic Dionysius, Nec tu profecto filium Regem habiturus es, nisi ab eiusmodi flagitijs desistas.

De Superbia: & in quo falsa consistat felicitas.

CHhristophorus Landinus scribit quodam loco, Superbiæ socias siue comites

tes esse Leuitatem, Arrogantiam, Auaritiam, Ambitionem, Lætitiam immoderatam, onerosam humilitatem, & peccandi licentiam, filias vero, Hæresim, inobedientiam, vanam gloriam, hypocrisim, ostentationem, pervicaciam, discordiam, Inuidiam.

Idem falsam huius Mundi felicitatem ait in quinque rebus consistere; imperio scilicet, diuitijs, honoribus, fama siue nominis existimatione, & corporis voluptatibus.

Ex inimicis salus.

ANtisthenes (Xenophonti idem nonnulli tribuunt) dicere solebat diligēter nobis attendendum esse quid inimici de nobis sentiant & loquantur, vtpote qui vitia nostra longe melius quam amici perui-deant & notent. Et vt à serpentibus remediū, ita ad inimicis vtilitatem petendam esse, idē monebat.

Fortunæ instabilitas.

PEtrus Albizius Florentinus, ciues omnes auctoritate, diuitijs & potentia lōge superans, quodam die complures amicos ad magnificum epulum inuitarat. Mensis secundis illatis, inter bellaria clauus

repertus fuit, magna cum omnium admiratione. ex quo conuiuarum aliquis capta occasione, monere eum cœpit, vt Fortunam suam iam summo loco consistentem trabali clauo figat opus esse, ne illa more suo rursus ad ima vergat. Et præsagium hoc potius quam interpretationem fuisse, euentus docuit, Albizio non fortunis tantum omnibus euerso, sed ignominiosa quoque morte affecto. *Tutius scilicet est ad summum, quam in summo.* Seneca: *Fortuna magna non caret formidine.* Sexcenta tam exempla quam dicta ad hanc rem passim occurrunt.

Luxus excusatio.

QVum Aristippo Philosopho quidam victum splendidum & sumtuosum exprobrasset, Equidē, ait ille, si peccatū hoc esset, nequaquam deorum festa tanto luxu & pompa celebrarentur.

Cauendum ab ambiguis verbis.

LVdouicus XI. Franciæ Rex, deuictis rebellibus, & toto fere pacato regno, Equitum magistro (Comestabilem vulgo appellant) qui clanculum rebelles re & consilio

consilio iuuerat, diligenter sese excusanti, & securum comeatum petenti, renunciari iussit: Vt tam sedulo sese purgaret, nihil quidem opus fuisse. satis enim superque sibi tam de Comestabilis erga se animo, quam meritis & officijs constare. Veniret ergo quandocumque ipsi videretur. Et hoc quidem pro certo, inquit Rex ad nuncium, ac sine vlla fictione tibi affirmo, me ad res meas constabiliendas tali capite vehementer opus habere: non consilia à tali capite profecta, sed caput eius à ceruicibus revulsum intelligens.

Vino multa adscribenda.

QVum milites quidam apud Pyrrhum Epiri Regem delati essent, quod in cõuiuio quodam multa in eum contumeliose dixissent, Rex accersitos vtrum res ita haberet rogat. Ibi vnus ceteris audacior, Fatemur inquit, Rex, nos multa id genus dixisse, & nisi lagena nos tam cito defecisset, multo fortasse plura dicturi eramus. Hac tam sincera confessione quam festiua excusatione delectatus Rex, liberos abire permisit.

Ioco matrimonium pacatum.

BErnaedus Amideus, filium sibi sine opera sua natum suspicans, dies noctesque multum sese affligebat. Eam rem animaduertens Petrarcha amico vehementer obiurgato, Tibi, inquit, Maria Rauennate magistra opus est, quam vxori, vt pote soli optimæ consciæ fidem habere verearis. Et hanc quidem ad rem audi lepidam fabulam. Ante annos non multos Senis ciuis quidam illustris & opulens habitabat, vxorem Mariam de Rauenna nomine eximia forma in matrimonio habens, quæ tamen aduersa pudicitiæ fama laborabat. Ea quum filium vnicum tenellum in sinu gestaret, maritus defixis primum in puerum, deinde in matrem oculis, ex intimo pectore suspirium duxit. Caussam vxori roganti, Semissem, inquit, bonorum meorum dederim, sic tam certus essem filium hunc meum genuinum esse quã tu certa es. Ibi mulier nihil immutato colore, Tanto, ait, hanc in rem sumtu opus non est: quod si mille tantum ducatos mihi donaueris, scrupulo omni exemto, huius rei quam certissimum te feciam. Conditione à marito accepta, aduocantur cognati quidam & amici tamquam arbitri, tũ re tota explicata, vxor infan-

nfantē in vlnas suscipit, & subridens, Mi marite, inquit, numquid fateris infantem hunc meum esse? Certe, inquit maritus: sed quid tū postea? Ibi illa accedens, Age igitur, eundem tu cape, ā me tibi donatū: nec quisquam iam tuū esse negauerit. Solutis in risum omnibus, amici & singularē mulieris huius dexteritatē laudarunt, & stultam viri zelotypiam reprehenderunt.

Mercatura Principibus indigna.

THeophilus Imperator Constantinopolitanus vxorem habuit admodum auaram, vt quæ mercaturam etiam tā terra quam mari exercuerit. Accidit vt Imperator per fenestram prospectans, ingentem onerariā in portum appulsam conspicatus, misso puero, cuianam ea esset, vnde veniret, & quas merces veheret, percunctari iuberet. Vbi vero intellexit ad vxorem tā nauim quā merces attinere; nautis mandauit vt statim quę sua essent quisque exportarēt: quo facto, igne iniecto nauim & quidquid in ea erat comburi iussit, vxorem quæ hæc spectabat, austero vultu sic affatus: Me quidē Deus Imperatorem fecit, at tu nauclerum & mercatorem facere me satagis. Tu scito, subditorū nostrorū esse, mercaturā exercere, & victū inde quærere: quod si nos totius Imperij

reditibus non contenti, etiam mercaturæ vtilitates ad nos rapiamus vnde subditi nostri & vitam sustentabunt, & tributa nobis soluent? *Princeps se regem esse non mercatorem meminerit.*

Non vi, sed blanditiis Amor gaudet.

LEo Byzantinus Platonis discipulus nobilis sophista, quum accepisset Philippum Macedoniæ Regem magno cum exercitu ad expugnandum Byzantium adventare, obviam ei profectus, cur patriam suam oppugnatum veniret, rogauit. Rex, Scias, inquit, me deperire eam, nec facile quieturũ donec ea potiar. Tum Leo, At tu etiam hoc scias, ò Rex, amatores ad amicarum fores nõ instrumẽta bellica, sed Musica adducere solere. Quo dicto Rex delenitus, omisso Byzantio, arma aliò conuertit.

Panicus terror.

ARnoldo Imperatore Romam obsidẽte, forte fortuna ab ijs qui fossas moliebantur, lepus è cubili excitus, & per castra discursans, plerisque, vt fit, insequentibus,

tibus, ingentem tumultum excitauit. Eo consternati qui in muris excubias agebant, rati corona vrbem oppugnatum iri, subito desertis stationibus diffugere cœperunt. Quo animaduerso, Imperatoris milites, omisso fugaci animaculo, per muros nemine resistente enixi, vrbem vnico assultu ceperunt.

Cui mutuo dandum.

AD Tarquinium Abbatonium militũ. ducem in lectulo cubantem miles quidam venit, totus sudans ac tristis, eumque affatus, Quid, inquis agis, dux optime? an dormis? Cur hoc rogas? inquit Tarquinius. Ah, inquit ille, rogare te volui vt decem ducatos mihi commodes, vt ijs pecuniam lusu perditam, cum fortuna fauente recuperem. Abi, ait Tarquinius, ego dormio.

Primas fert qui plurimum dat.

FLorentiæ quum nouus Senatus legendus esset, quidam Laurentio Medici hominem vino valde deditum, vt suffragio eum iuuare vellet, commendabat, inter cetera hoc addens, vno vini cantharo quocumque vellet adacturum. Tum Laurentius

ctus;Quid me fiet, si quis alius binos ei cantharos propinarit?

Datum reddendum.

AB Arlotto Florentino amicus frumenti aliquot modios mutuo acceperat, reddere postea oblitus. Quum vero annonæ incidisset caritas, eundem adit, & rursus modios aliquot poscit. Arlottus homini commõstrat granariũ, & petere inde iubet. Ille nullo frumento reperto, redit, frustra se ibi fuisse indicans. Tum Arlottus, Nihilne reperisti? Crediderim ergo id ꝙ ante annum tibi concreditum fuit, nondum à te reportatum. Quod ergo gratificari tibi nõ possum, tibi ipsi imputabis. Bonus *condus* bonũ *romum* facit.

Talis res frangitur.

FRanciscus Seminara, magna bonorum parte talorum lusu dilapidata, à prætore in custodiam datus fuit. Hanc ille iniuriam, vt putabat, ægre ferens, Prætor hic, ait, carceri me inclusit quod mea bona dilapidarim; quid mihi facturus fuerat, si ipsius bona dilapidassem? cuius ioci festiuitas Prætori tantopere placuit, vt hominem statim custodia liberarit.

Principum

Principum ira non prouocanda.

Atheniensibus diuinos Alexandro Magno honores, vti stulta assentatorum persuasione inflatus petierat decernere recusantibus, quidam dixit: Cauete Athenienses, ne dum cœlum nimis sollicite custoditis, terram amittatis.

An & quando Philosophis pecunia opus.

Aristippo bonam argenti summam petenti, Dionysius Siciliæ tyrannus admirabundus, Quid tu, inquit, Aristippe ea petis, quæ vos Philosophi, vt quidẽ præ vobis fertis, adeo contemnitis, & quibus sapientem egere negatis? Aristippus, prius mihi da, inquit, ad quæstionem postea respondebo. Accepto argento, Aristippus ait: Numquid vides, Dionysi, me iam ijs rebus quas dicis, non egere; nec doctrinam nostrã sibi repugnare?

Xenocrati Philosopho Alexander Magnus quinquaginta talenta donarat; quæ tamen ille accipere recusauit, tanto dono sibi opus non esse dicens. Tum Alexander, Tergo nullos, amicos habes, quibus aliquo opus sit? Mihi quidem ad benefaciendum

amicis

amicis omnes Darij opes vix satis fuerunt: & tu in quos vsus quinquaginta collocare talenta debeas, nescis.

Miserior est qui patitur quam qui passus est.

AD Arlottum Florentinũ Ecclesiastici quidem ordinis, sed multi ac liberalis ioci hominem, nauta quidam venit stipem rogans, ac dicens, Catalaunorum piratarum manus ægre se euasisse. Tum Arlottus, Multo sane iustior causa mihi à te petendi fuerit. Ego enim in illis manibus sum, quas tu euasisti, Calixtum Papam intelligens qui ex ea natione erat.

Facetum, sed pium rustici dictum.

RVsticus quidam dicere solebat, se suo quotidie labore quinque lucrari panes. Interrogatus autem quomodo eos distribueret, *Vnum*, inquit, *capio, vnum proijcio, vnum reddo, & duos do mutuo*. Ænigma hoc declarare iussus, Vnum, inquit, in meum vsum capio; vnum proijcio, quem porrigo nouercæ meæ; vnum patri, quem illi

illi reddo; duos liberis meis mutuãdo credo.

Mulieres & pueri sæpe rerum potiuntur.

THemiſtocles quum vnum ex liberis ſuis matri ita in delicijs eſſe videret, nihil vt vmquam illi negaret, ac plus quam ſeipſum amaret, concludebat filiolum hunc ſuum Græcis omnibus dominari, ſic argumentans: Athenienſes dominantur Græciæ. Ego dominor Athenienſibus. Mater mea dominatur mihi. At filius meus matris meæ dominus eſt. Ergo toti Græciæ dominatur.

Eandem fere in ſententiam Cato, Nos omnibus, inquit, totius Orbis hominibus imperamus; at vxores noſtræ imperant nobis.

Liberi quatenus amandi.

ARiſtippus quum liberos haberet parum dicto audientes, & vitioſos domo eos tandem eiecit, ac ſi eos pro ſuis non agnoſceret. Cuius ſeueritatis nomine ab amico reprehenſus, quod ſcilicet liberi vtpote ab ipſo generati, corporis ipſius pars eſſent: Etiam pediculi, inquit, & pituita è capite deſtillans meo, à me proueniunt, quę

tamen

tamen quia nullius vſus ſunt, lubenter à me ſeparo & abiicio.

Decore, pro ſexu, incedendum.

GEnerum Cicero habuit adeo mollem & delicatum, vt lento & quaſi cribrato gradu incedens, pro femina haberetur; filia vero, virorum inſtar, grandem gradiebatur gradum. Pater igitur eam eundo ita ſuccutientem conſpicatus, *Placide*, inquit, *incede filiola, vt maritus incedit tuus*. Atque ita vno dicterio ambos perſtrinxit.

Ingenij oſtentatio iuuenilis eluſa.

RVſticus quidam filium habuit, qui cõtritis aliquot in litterario ludo annis, domum reuerſus, eruditionem ſuam vbique & ſemper oſtentare geſtiebat. Quum vero aliquando in menſa nihil appoſitum eſſet præter quatuor oua, & filius admirabilis ſuæ eruditionis ſpecimen dare cupiens, diceret, Septem ibi eſſe, quandoquidem numerus quaternarius etiam ternarium complecteretur, & quatuor ac tria ſeptem conficerent; pater, ne pluribus diſputaret, quatuor oua ſibi ſumſit, dicens: Ego quatuor iſta comedã, reliqua tria tu tibi capito.

Importuna

Importuna interrogatio elusa.

QVidam hominem munus quoddam pallio tectum gerentē interrogauit, Ecquid portaret? Annon vides, respō-dit alter, de industria id eo tectum esse, ne tu scires?

Curiositas.

ANtigonus quum exercitum suum lustrans, Antagoræ poetæ tentoriū intrasset, & pisces eum coquentem inuenisset, Putasne, inquit, Homerū quum res Agamemnonis describeret, coquendis piscibus occupatum fuisse? Cui respondit Poeta: Putasne & tu Agamemnonem quum præclara illa facinora ederet, curiosum fuisse inquirendo an in exercitu pisces coquerentur?

Alexandri M Exemplum inversum.

IOannes Gonzaga talis ludens, multam pecuniam perdiderat, adstāte Alexandro eius filio, subtristi. Tum quidam. Ecce filium tuum auide exspectantem vt ludo vincas, vt & ipse de præda partem aliquam habeat: Erras, inquit Gonzaga, neque enim Alexandri est tam humilia cogitare. Nescis

tu Magnum illum Alexandrum, quum audiſſet non ciuitates tantum, ſed multa etiam regna à patre Philippo ſubiugata, flere cœpiſſe, quod diceret, vereri ne ſibi poſt paternas victorias vllum ſpicilegium reſtaret? ſic & meus hic Alexander triſtis adſtat, ſed contrariam ob cauſſam: ſiquidem metuit, fortaſſe ne tantum ego ludendo perdam, vt ipſi quod perdat nihil reliquum ſit futurum. Scitum eſt illud cuiusdam de Alexandro dictum: *Alexander Mundo Magnus eſt; at Alexandro Mundus eſt Paruus.*

Quisque ſuò genio ducitur.

CRates Philoſophus quum egregia quædam mulier nubere ipſi cuperet, progreſſus, & cogitans ignorare fortaſſis mulierem quod gibboſus ipſe eſſet, & pauper, penulam humeris detraxit, & vna cũ pera ac baculo in terrã proiecit, proteſtatus, Suas has facultates, ſuam hanc formam eſſe quam videret: ſecum itaque bene expenderet, ne poſtea huius pœniteret. Verum ea nihilominus conditionem accepit, affirmans, ſe nec pulcriori nec ditiori marito nubere potuiſſe.

Spar-

Spartanorum lex de connubijs.

CIrca matrimonium, Spartanorum lex mulctam statuebat, primam, non ducenti vxorem; secundam, sero ducenti; tertiam & grauissimam, malam ducenti.

Quando vxor ducenda.

DIogenes ab amico rogatus, quodnam tempus esset vxorem ducendi: Ille, iuueni, inquit, qualis tu es nondum; seni, numquam.

Fragilitas muliebris.

PYthagoras dicebat, aurum igni, auro feminas, viros vero feminis probari. Idem ait, si ex argento essent feminæ, ad monetam faciendam minime aptas fore, vt quæ mallei ictum minime ferre possint.

Arlotti dicta quædam.

TAnti mihi est vtilitas nihil proficiens,
Quanti malum nihil nocens.
Qui vetere relicta, nouam viam prendit
Ad locum quò non vult, sæpe tendit.
Donator pridem obiit,
Adiutor animam agit.
Ne te possit pœnitere,
Secreta tua confitere.

Confeſſario, Aduocato,
Medico: reliquos celato.
Atrox & periculoſa eſt tempeſtas mala Mulier.
Non omne quod ſplendet, aurum eſt.
Qui calamitates non vult ferre,
Exeat quamprimum è terra,
Vita hæc nihil aliud eſt quam aſſidua militia & malitia.
Pecunia, Sapientia, Fides,
Vix hodie ſunt, quacumque vides.
Non eſt vlla virtus quam paupertas non maculat:
Nec vlla ſanctitas quam peccati dulcedo non collutulat.
Abundantia faſtidium gignit.
Qui bene ſedet, male cogitat.
Gaudium huius Mundi breue eſt.
In cœlo æſtu non calebit,
Nec frigore quiſquam algebit.
Abit tempus, & omnia ſecum trahit.
Qui præter ſolitum eſt blandus,
Proditionem molitur infandus.
Qui facit quæ facere non debet,
Fieri videbit quæ non credet.
Qui vnum periculum ſemel euadit,
Mille euaſurum ſe ſperabit
Contra timorem omnia arma ſatis non ſunt.
Si

Si rustico quis manus det,
Simul & pedem arripiet.
Fac quod facis.
Equo donato dentes non sunt inspiciendi.
Parum is scit, qui seipsum iuuare nescit.
Qui contentus est, lætus est.
Tantum crescit amor, quantum ipsa pecunia crescit.
Id vere meum dixero,
Quo vtor, quodque Deo dedero.
Nec feminam nec pannum eme
Ad candelam; fraudem time.
Qui malus est, nec malus putatur,
Facit malum, ac celatur.

Sequentia à Guicciardino Boccatio adscribuntur.

QVi statum mutat, sensus mutat.
Necessitas caret lege.
Qui nihil scit, si tacere scit, satis scit.
Gratus & iucũdus homo est, qui homo est.
Prima pars stultitiæ est sapientem se credere.
Homo proponit, Deus disponit.
Vna vncia dominij, aquiparanda est libræ Auri.
Si vis bene mori, bene viue.

Qui perſtat, vincit.

Præſentem fuge voluptatem quæ futurum gignit dolorem.

Femina amans ocij cum virtute nil habet negocij.

Paupertas homines ſtrenuos, Lex facit ingenuos.

Omnium dolorum optimum remedium eſt Patientia.

Conſcientia vim habet mille teſtium.

Vera lex Natura eſt.

Omnis timor ſeruitus eſt.

Ex præſentibus coniectura fit quæ poſthæc ſint futura.

Pactis ſiue contractibus leges rumpuntur.

Vnus homo centum valet, & centum vix vnum.

Sententiam & propoſitum mutare ſapienti probro non eſt.

Admiratio Ignorantiæ eſt filia.

Facta viris, verba feminis.

Diligentia vincitur ſcientia.

Fames Famæ ſæpe obeſt.

Eſt Tempus Veritatis pater,

Vſus rerum omnium mater.

Qui virtutem ſerit, bonam famam metit.

Mors omnium, ſed Mortis Fama eſt victrix.

Gaſpa-

GASPARIS ENS EPIDORPIDVM LIBER II.

IN QVO NONNVLLA, SAPIENTER, GRAVITER, ACVTE, VRBANE, FACETE, LEPIDE, salse, mordaciter, ridicule, frigidè denique dicta & facta; tum alia quædam ad acuendum ingenium, animum recreandum, & tempus fallendum apta continentur.

Ad quid Philisophia prosit.

ARISTIPPVS Socraticus à tyranno Dionysio interrogatus, Quid illi tam impensum tamque diutinum Philosophiæ studium prodesset: vt cũ omnibus, inquit, hominibus secure & intrepide & loquar & viuam.

Philosophis cum vulgo non conuenit.

DIogenes ad templi fores præstolatus dum populus egrederetur, per medios illos cum impetu templum intrauit, Philosophi esse inquiens, contra vulgus niti. Hinc Poeta.

Pauci sequendi; multitudo non item.

Notum est illud Æsopi: *populus sui is multus, homines pauci.*

Conversatio quam iucunda.

ARchitas Tarentinus dicere solebat, Si cui Deorum immortalium munere concessum esset vt in cœlum ascẽderet, & mundi huius naturam ac stellarum pulcritudinem contemplaretur, parum id ei gratum futurum si non haberet postea quîcum ea quæ vidisset, communicaret

Nec ego vulgo, nec vulgus mihi.

EXtra reprehensionem, immo laudabilis est illa Epicuri vox dicentis: *Numquam placere volui populo: quoniam ea quæ ego facio, illi non laudant; & quæ illi laudant, ego non facio.* Et Horatius.

Odi profanum vulgus & arceo.

Malo-

Malorum consuetudine an & quomodo vtendum.

REprehensus Diogenes quod cum malis conuersaretur, Etiam sol, inquit, radios suos in loca immunda spargit, nec tamen inquinatur.

Idem alij idem obijcienti: Medici, inquit, ægrotis toto die assident, nec tamē inde morbum contrahunt.

Vita solitaria.

SCipionis illud fuit: Numquam se minus solum esse quam quum esset solus; neç minus ociosum quam quū esset ociosus.

Rusticus quidam doctum hominem solitudinis amantem accedens rogauit, qui ita solus viuere posset? Tum ille, *Ego*, inquit, *solus esse cœpi eo temporis momento quo tu ad me venisti*: significare volens, doctum hominem tū demum solum esse quum inter ignorantes versatur, à quibus animum disiunctum habet & abstractum.

Crates iuuenem in loco quodam secreto ambulantem conspicatus, quid solus ibi ageret, quæsiuit. Cui iuuenis: *Mecum ego colloquor*. At ille: *Vide ne cum homine nequā colloquaris*.

Secretum alteri non facile committendum.

SEruus vestem ab hero sibi donatam, ilico alij cuidam amico suo donauit. Ab hero propterea obiurgatus, *Quid*, ait, *me tuam seruare vis, quum nec tu illam seruare potueris.*

Nimiæ laudes quomodo accipiendæ.

NObilis quidam quum diu & patienter impudenti cuidam, mirificos titulos, & nimias laudes in ipsum congerenti, auscultasset, tandem inquit: Non scio equidem, quid tuis istis laudibus facere debeam: quas si reijcio, te adulatorem arguo; si recipio, inanis gloriæ cupidum me ostendo. Diuidamus itaque, vt boni commilitones & socij, & partem earum mihi concedens, tu alteram partem cape.

Ambitio irrisa.

ALexander Macedo non satis esse putans & Hominem se esse, & Regem, & Magni nomen obtinere, Iouis quoque filius nuncupari voluit. Hinc indignata ipsius mater, *Caue sis fili*, inquit, *ne malam Iunonis*

nis gratiam tibi & mihi concilies.

Hanc ipsius diuinitatem irridens Philosophus quidam adulari nescius, videns medicũ ægrotanti iusculum præparare, *Dei nostri salus*, inquit, *à iusculo pendet.*

Quænam noxia maxime sint animalia.

PHilosophus quidam rogatus, quodnã animal hominibus omnium maxime esset noxium; respondit: *Inter Syluestri, Maledicus; inter domestica, Adulator.*

Maledici procul habendi.

REx quidam cum altero bellum gerẽs, quum militem quendam hosti maledicentem audisset, acriter eum castigauit, inquiens: *Ideo tibi stipendium ego numero vt contra hostem dimices, non vt ei maledicas.*

Alexander Magnus quum intellexisset quosdam male de ipso loqui, sapienter & regia quadam moderatione respondit: Regium esse bene facere, & male audire,

Modestia.

PYrrhus subita & felici ab hostibus reportata victoria, quum intellexisset *Aquilam* se à suis militibus nominari: Si ego Aquila sum, inquit, vos vtique in caussa estis, siquidem brachiis & armis vestris quasi pennis me subleuastis & sustinuistis.

Eleganter Græcus quidam Poeta: *Qui absenti mihi maledicit, iniuriam non facit; qui vero bene mihi præsenti dicit, is maledicit.*

Contentio fugienda.

QVidam ab homine contentioso & cõtradicendi cupido rogatus, Vtro oculo quamlongissime prospiceret; *Quo tu vis*, inquit. Nimirum,

Fer. do vincitur, po est qui vincere.

Mundus cui similis.

PYthagoras dicebat *Mundum esse quasi Mercatum quendã*, in quo tria hominum genera concurrerent: Vnum ad emendum: alterum ad vendendum: tertium ad videndum quid in mercatu ageretur. Et posteriores hos idẽ aiebat Philosophos esse, & ceteris feliciores. Forsan tũ non tanta crumenisecarum

ſecarum & furum multitudo fuit quanta hodie, quos Pythagoras alioquin fuerat additurus.

Alius Mundum hunc Theatrum eſſe ait ſiue Scenam quandam; nos, hiſtriones; deos, ſpectatores: ſub his forte Philoſophos quoq; comprehendens.

Et improbis vtendum.

PRinceps quidam per iuuenem laſciuũ & parum laudatæ vitæ nobiles quasdam feminas ad conuiuium inuitarat. Procedente conuiuio, & omnium animis ad hilaritatem ſolutis, vna earũ per iocum ex Principe quærit, qui factum eſſet, quod quum in tanta modeſtorum iuuenum & miniſtrorum copia, per illum potius vitioſum hominem ipſas inuitari curaſſet? Cui Princeps reſpondit: *Cum bonis quidem ſemper ſibi conuenire; iam vero periculum facere voluiſſe quomodo & cum improbis agere poſſet.*

Bona exiſtimatio quomodo comparanda.

SOcrates interrogatus quæ maxime compendioſa homini via eſſet ad bonam famam & gloriam acquirendam,

 reſpon-

respondit: *Si curarit talis esse qualis videri desiderat.*

Astrologiæ vanitas.

ASTrologum de motu sphærarum cœlestium & stellarum cursu multa disserentem, Philosophus quidam, interrupto sermone, interrogauit; *Quamdiu factum est quod de cœlo descendisti?*

Dicterium in Neronem.

IN Neronem, qui excellens Musicus, quāvis non esset, haberi tamen volebat, scitū est illud: Eū quidlibet potius fuisse quam Musicum; meliorem tamen Musicum, quàm Principem.

Ne sutor vltra crepidam.

ALexander Magnus in Apellis ædibus de pictura iudicium ferens, quū quædam ab arte plane aliena disseruisset, Apelles in aures ipsi insusurrauit: Aut istis de rebus omitte disputare, ô Rex, aut submissius loquere, ne pueri qui colores terunt, te audiant simul & rideant.

Ptolemæo Regi de Musica disputanti, Musicus

ficus dixit; *Alia res est sceptrum, ò Rex, alia plectrum.*

Vera nobilitas quæ.

DIogenes interrogatus, Quinam mortalium omnium essent Nobilissimi? Qui diuitias, inquit, gloriam, voluptatem, vitam contemnunt; contraria vero, hoc est, paupertatem, ignominiam, laborem, mortem præclare sustinent ac vincunt.

Reprehensio tempestiua esse debet.

AMicum quidam ebrium conspicatus, accessit, & his verbis increpauit: Non te ebriositatis tuæ pudet? Tum ille: Nō te pudet, Ebrium reprehendere?

Pulcerrima Conuersationis Regula.

SApienter Epictetus, *In Conuersatione*, ait, *Maiori cedendum esse, Minori cum modestia persuadendum, Æquali assentiendum.*

Honoris acceptatio lepide excusata.

NObilis quidam ab amicis & alijs post longam contentionem, præcedere & domum quandam prior ingredi coactus, *Bene*, inquit, *iam opinor, intelligitis, me vestri studiosissimum esse seruum, quum promte vobis etiam ijs in rebus obœdiam quæ pudorem mihi incutient.*

Rex an melior alijs.

QVum Leonidæ obiectum à quopiam fuisset: *Tu quidem, excepto regno, nihilo me es melior. At enim*, respondit Leonides, *si te melior non forē, non vtique Rex essem.*

Nec infimi contemnendi.

SCipio ædilitiam dignitatem ambiens, nactus obuiam quendā venientem, apprehensa eius manu quum duram & callo obductam sensisset, per iocum interrogauit, *Vtrum manibus an pedibus ambulasset.* Quo ille ioco tanta indignitate commotus fuit, vt per tribus circumiens, & plebem ludibrio haberi dicens, veluti stipulas ignis, multitudinem vniuersam ad iram accenderit, idque effecerit vt Scipio tum repulsam passus sit.

Rex

Rex cui similis.

ELegans est illa Regis cuiusdam comparatio, qui se *platano* aut *nuci* similem esse dicere solebat: sub quā pluuio cœlo multi se recipiant; qui postea serenato cœlo, eidem & ramos decutiant, & securim admoliantur.

Potentia sobrie vtendum.

CAto monebat, *Potentes potentia sua sobrie vti debere, vt diu ea vti possint.*

Traianus Imperator Senatores pro veteri more, *Patres*; se vero *Ministrum* nominabat.

Achilles an Homerus.

QVidam interrogatus, vtrum *Achilles* an *Homerus* esse mallet? Et tu mihi dic, respondit, vtrum *buccinator* an *Imperator* esse malis?

Aures in pedibus quidam habent.

ARistippus à Dionysio quid petens, quū non exaudiretur, tandem ad pedes illius prouolutus, q̄ petierat impetrauit. Ob hanc indignā Philosopho humilitatē reprehensus, aiebat, *Culpā hanc nō suā esse, sed*

Regis, qui aures in pedibus haberet.

Qui ab officijs remouendi.

PHilippus Macedoniæ Rex quum animaduertisset quendam ex officialibus suis barbam tinxisse, ab officio eum remouit, dicens *eum qui proprijs pilis fidus non esset, in caussis publicis multo minus fidum fore.*

Mulieres cui similes.

ARgute quidam *Mulieres morti similes* esse dixit, propterea quod fugientem sequantur, & sequentem atque vocantem fugiant.

Amor cui similis.

CHimæræ nonnulli Amorem comparant. Sicut enim Chimæra caput habet Leonis, Capræ ventrem, & caudã Draconis; ita Amor initio feritatem Leonis præ se fert, in medio Capræ luxuriam, in fine vero venenum Draconis; quod & ruinam Amanti conciliat, & mortem.

Qui viri probi.

QVidam qui omne tempus ocio & torpore consumebat, ob inertiam hanc obiur-

obiurgatus, & vt & ipse laboraret monitus, quatuor, quos habebat, fratrum exemplo, qui suo sibi sudore victum quærerent: At quatuor, inquit ille, nebulones facile vnum virũ probum alere & sustentare possunt. Quo inferre voluit, laborare, nebulonũ esse; viri autem probi, in ocio degere. Quod si ita esset, Deum immortalem, quanta hodie esset bonorum virorum copia!

Qui sapientes.

PHilosophus quidam eos sapientes prædicabat, quos voluntas & cupido incesseret nauigandi, nec nauigarent tamen; Rempublicam administrandi, nec administrarent; vxorem ducendi, nec tamen ducerent.

Occasio præcidenda.

NObilis quidam in pulcherrimæ cuiusdã feminæ ædes pictorẽ miserat, effigiem eius vt depingeret: sed illico quum iam depingere cœpisset, supervenit maritus, & pictorem ex ædibus proturbauit, dicens: Fieri posse vt Nobilem illum, post Copiam siue exemplar, ipsius etiam Originalis, vt vocant, obtinendi cupiditas incesseret.

Quomodo filiæ despondendæ.

OLympia Alexandri Magni mater dicebat, *Mulieres cum auribus priusquam cum oculis despondendas*; id est, non tam aspectum & ornatum, quam bonam famam in matrimonio contrahendo spectandam.

Adspectus.

VIrum quendam grauem mulier lasciuo paullum obtutu adspexerat: vnde ille indignatus, Quin tu, inquit, terrā potius intueris? At illa, Hoc magis, ait, te facere par est, vtpote quum ex ea viri efformati sint; at quis nobis viros aspicere prohibeat, è quorum costis factæ sumus?

Honesta vidua.

NObilis quædam apud Romanos matrona, de secundis nuptijs sollicitata, respondit, *Seruium suum* (id enim marti nomen fuerat) *quamvis alijs esset mortuus, sibi tamen adhuc viuere.*

Secundæ nuptiæ raro felices.

VIduus viduam duxerat: inter quos quum contentio in prandio exorta esset, mulier per contemtum se-

missem

missem carnis quæ apposita erat, resecuit, & pauperi cuidã cũ his verbis porrexit: Hanc tibi in gratiã prioris mei mariti datam volo. Tum maritus eidem alteram semissem dedit, inquiens: Et ego in gratiam prioris meæ vxoris hanc tibi partem do. Sic vtrique sic cum tantum panem reliquum habuerunt.

Nouerca & priuignus.

QVidam quum canem lapide petens, nouercam tetigisset, *at ne sic quidem*, inquit, *à scopo plane aberraui.*

Gener, Vxor, &c.

ARgute quidam dixit, *Eum cui bonus obtigit gener, bonum filium acquirere, cui improbus, filiam perdidisse.*

De feminis alius, *Quemadmodum*, inquit, *præsidiarij ad colloquium vel conditiones ferendas redacti, ab expugnatione parum absunt, ita & feminæ cũ lasciuo amatore vel cõsistentis vel colloquentis saltim, pudor magno in periculo versatur.*

Hinc sapiens quædam & casta mulier Amanti valde molesto ita respondit: *Virgo, patris; nunc vxor, mariti subiecta sum imperio ideoque si places, ipsum alloqui & intelligere poteris,*

poteris, quid ille à me fieri velit.

Mulierum pertinacia.

MVlier quædam quum marito duos in cœna Turdos apposuisset, Merulas esse dixit. Replicante autem marito, Turdos esse, illa triplicauit, esse Merulas: vnde ira percitus maritus colaphum ipsi impegit. Sed neque sic destitit vxor, Turdos mensæ apponens, Merulas eas dicere: ideoque colaphos ille geminauit. Exacta iam septimana, vxor Merularum suarum iterum mentionem iniecit; marito autem Turdos tamen fuisse dicente, quum illa nihilominus immo Merulas fuisse assueraret, coactus fuit maritus Octauam celebrare, plagas & verbera iterando. Sed neque sic cessauit contentio. Nouo enim iam exoriente anno, mulier viro obiecit, quod ob maledictas Merulas præterito anno vapulasset: & respondente marito, *ob Turdos*; vxore vero, ob Merulas, occinente; non potuit se continere maritus quin, veluti anniversaria celebrans, iterum probe eam depecteret: nec tamen sic adigere potuit, vt Turdos fuisse fateretur.

Vanus

Vanus mulierum ornatus.

QVidam mulierem ambitiose ornatam conſpiciens, *Hæ*, inquit, *plumæ pluris ſunt quam ipſa auis.* Atqui *Sat ſunt ornatæ, quæ ornent et minus.* Et *Freno inaurato equus non redditur melior.*

Ex vno de ceteris.

QVidam maritus primo nuptiarum die vxori faciem totam pugno contudit. Accurrentibus amicis & parentibus, & interrogantibus, quid illa commiſiſſet quod tam male eam tractaret, *Nihil*, reſpondit. Admirantibus & altero alterum intuentibus, ſubiunxit ille: *Quum absque cauſſa eam verberauerim, cogitate quam male, ſi cauſſam mihi dederit, eam ſim tractaturus.*

Matrimonio non conuenit auſteritas.

GRæci in ſacrificio, quo Iunoni matrimonij cauſſa operabantur, fel victimis detrahebant, & à tergo aræ reijciebant: vt eo ſignificarent, à Marito & Vxore omnem remouendam eſſe auſteritatém, irã & amaritudinem.

Parentum

Parentum erga liberos amor.

PTolemæus à quibusdam reprehensus, quod Ægypti regnum viuus filio tradidisset, *Nihil dulcius esse*, respondit, *quam Regis patrem esse.*

Regem decet liberalitas.

REx quidam filij conclaue ingressus, multis ibi aureis & argenteis vasis, quæ iam olim ipsi donarat, conspectis, *Satis*, inquit, *video animo generoso te nõ esse Tantis enim donariis quæ à me habes, ne vnicum quidem, vt video, tibi amicum conciliare nosti.*

Filij modestia.

QVum iuueni cuidam exprobraretur, quod pater male de ipso esset loquutus: *Si pater*, inquit, *eius quod dixit caussam non haberet, vtique non diceret.*

Mundi huius abusus.

DIuinus quidam scriptor sequentia valde deformia, in hoc tamen Mundo valde frequentia esse dixit: *Sapientem absque Opere, Senem absque Religione, Iuuenem absque Obœdientia, Diuitem absque Eleemosyna, Feminam absque Honestate, Dominum absque Virtute*

Virtute, Christianum Litigiosum, Pauperem Superbum, Regem Iniquum.

Gressus decorus

ANgelus Politianus in platea cum amico gradum accelerante incedens, eundem apprehensa vestis lacinia, admonuit, vt placide ac pedetentim incederet, siquidē Aristoteles affirmet, *Gressum tardum grauitatis esse indicium*. Tum ille Politianum intuens, Sane miror te, inquit. Si enim negociorum quæ mihi iam incumbunt, vel dimidiata pars Aristoteli fuisset expedienda, vt ique ille vndiquaque discurrisset, & tamen vix tertiam eorum peregisset partem.

Mundi perversitas.

GRæcus quidem scriptor Mundum omnia perverse agere cernens, malos videlicet extollendo, bonos vero deprimendo, in hanc tandē venit sententiā, vt diceret, Si à Deo sibi hæc cōditio ferretur: Tu post mortem resuscitatus, aut Canis eris, aut Ouis, aut Hircus, aut Equus, aut Homo, aut quodcumque tibi libuerit; se quidvis aliud potius quam Hominis formam electurum: quandoquidem inter omnia animalia solū

hominem

hominem aut indignos experiri fauores, aut iniustis odiis expositum esse videret. Bonæ enim indolis Equum maiori cum diligentia & ali & gubernari quam alium; Canem bonum, malo pluris æstimari; Gallum pulcrum singulariter & melius pasci, & generosum abiecto præferri, &c. at Homini nequaquam prodesse, quod vel bonus sit, vel doctus, vel generosus. Primum enim honorem haberi Adulatori, secundum Calumniatori; tertium Delatori; & consequenter improbis atque malitiosis locum dari. Inde satius fore concludit, vt in Asinum transformaretur, quam vt in Hominis figura sceleratos commodius & maiori in dignitate viuere conspiceret.

Bonus semper.

MAncipium quidam empturus, cuidā dixerat, *Si seruum te asciuero, erisne vir bonus? Etiam*, respondit ille, *si me seruum non asciueris.*

De boni Serui officio non inelegans hoc est: *Aut seruiat vt seruus; aut fugiat vt Ceruus.*

Quæ

Quæ res male tractentur.

LEpide quidam tria male tractari dixit; Aues in manibus puerorum; Iuuenculas in manibus Senum; & Vinum in manibus Germanorum, qui illud non bibunt aut obſorbent, ſed liguriunt, & tamquam ei collum frangunt.

Alius, male cum illis ciuitatibus agi dicebat, quæ & multis Iudicibus, & multis Medicis indigerent.

Conuiuis illud quidam ſolebat occinere: Si modeſti & temperantes eſtis homines, quod vobis appono ſatis eſt; ſin minus, iam hoc quoque nimium eſt.

Nec guloſus, nec auarus.

ARiſtippum Plato reprehendit, quod magnum delicatorum piſcium numerum coëmiſſet, tamquam id Philoſophum minus deceret. Reſpondente Ariſtippo ſibi hos paruo emtos, ſubiunxit Plato: Atqui ne viliori quidem ego precio eos emerim. Cui Ariſtippus: Vides igitur, ò Plato, non me guloſum, ſed te auarum eſſe.

Merobibi urbana excusatio.

APud nonnullas nationes mos est vinum antequam bibatur, aqua diluere. Hinc merobibus quidam Germanus in conuiuio ceteris Baccho Nymphas vel lymphas potius admiscentibus, cur ipse idem non faceret, facete ita se excusauit. Diu iam est quum Astrologum quendam de vitæ meæ fortunis consului. Etsi autem de multis ille me monuit, mihi vt cauerem; animo tamen probe adhuc insculptum habeo, illum ob magnum periculum, alioquin certo incurrendum, aquas mihi vitandas præcepisse. Ab eo igitur tempore statui, numquam vinum aqua mistum bibere; ac præceptũ istud obseruando, à periculo illo hactenus recte mihi caui, & etiamnum cauebo.

Faceta quædam.

MEdicus quẽdam, comestis iam pyris monebat, ventriculum pyris concludendum esse: at ille, nihilominus inquit, poculum mihi porrigite. nam & post haustum hunc rursus potius pyra comedam.

Bonus quidam postquam cibos multo sale & pipere conditos sumsisset, media no-

&c lecto exsurgēs,& capite è fenestra prospiciens,quanta maxima potuit voce exclamauit: *Ad ignem,ad ignem.* Territi hac voce vicini accurrerunt:ac quærentibus vbinam arderet? *In mea gula,*respondit,*In mea gula.*

Quidam cæcutiens rogatus,quid maxime visum ipsius offendisset? Malum oculorum, respondit.

Seruus quidam quum videret herum suū litterarum fasciculum conscindere ,rogauit eum tres aut quatuor vt sibi donaret. Quærēti autem domino, quid ijs facere vellet,aut ad quid opus haberet? Quum inquit,patriā meā relinquerem,rogauit me mater mea,vt litteras quandoque ad se mitterem. Mittam igitur has,quibus te non indigere video. Nūquid hic ex veruecum patria?

Ridiculum.

NOuas ædes quendam construentem architectus rogabat quò terram egestam transferri vellet. Fossam facite, inquit,& in eam iniicite. Tum ille,quò vero terra ex hac egesta reponenda est? Aliam ,inquit,fossam tam amplam facite , vt vtramque capiat. Acumen hominis!

Ridicula

Ridicula gratiarum actio.

NVncius quidam siue viator à pagi cuiusdam Communitate ad Officialem proxime Ciuitatis ablegatus erat, vt ei munus quoddam illius nomine offerret. Dicente autem Officiali, *Gratias meo nomine Communitati agito, & dic, vt opera mea vbi necessum est, libere vtatur*; respondit ille: *Ita faciat quoque vestra Dominatio cum Domina Communitate, quam perpetuo bonam habebitis sororem.*

Quum Princeps quidam perditionem suam iter faciens, in pago quodam divertisset, incolæ concilio habito, eidem muneris loco nescio quid offerre decreuerunt. Ea ergo prouincia prætori & tribus alijs, totius pagi sapientioribus demandatur: qui vbi cum munere comparuissent, & id, vt facile cogitari potest, egregia oratione mirum in modum ornassent; Secretarius Principis iussu eisdem gratias agit, in fine hæc verba addens: *Dominum suum eis clementem Principem esse & semper futurum*: tum prætor excipiens, *Et hoc sciat*, inquit, *Dominus noster, nos vicissim ipsius clementes subditos & rusticos perpetuo mansuros.*

Alia

Alia ridicula litterarum inscriptio.

ANtonius Gueuara in epistola quadã Comitissæ Cosentinæ non minus ridiculum quid accidisse scribit. Quum enim, mortuo marito, litteris, vt moris est, subditos de eo certiores fecisset, & nomen suum ita subscripsisset, *Mœsta & infelix vidua*, &c. illi titulum quoque in responsione mutandum sibi censuerunt. Sic itaque exorsi, *Illustrissima & moesta domina*, &c. easdem litteras ita concluserunt: *Ex mandato Senatus, magistratus & gubernatorum*, &c. addita demum inscriptione; *Mœstæ & infelici dominæ nostræ viduæ*. Sed ineptiarum satis.

Carmen quoddam Marcus Laudensis Clementi VIII. Pontifici legendum exhibuerat, qui vix tertio lecto versu, Eho inquit, Marce versus hic vna syllaba iusto breuior est. Tũ Marcus, *Nihil refert, mox Sanctitas V. alium inveniet qui tanto sit longior.*

Aliena non curanda.

QVidam è fenestra prospiciens, & agasonem videns asinum multis ictibus impetentem, hominem inclamat, cur miserum animal tam crudeliter tractaret?

Ignosce, inquit ille, *mihi Domine, nesciebam ego asinum meum tanta tibi cognatione iunctum, vt tantam eius curam geras.*

Lites fugiendæ.

AEre alieno oppressus quidam quum soluendo par non esset, diu intra limē se continuit, interim vero negociorū caussa absentem se credi volebat. Quum vero re detecta iam inibi esset vt fraudis condemnaretur; ab Aduocato sic defensus est: Non mirum videri debere si homo quietis amans, omnem litem subterfugiendam, & propterea latendum sibi aliquamdiu statuerit.

Vt seris, ita metes.

NObilis quædam femina ad sacrum audiendum in templum properans, ex homine obvio, qui tamen nobilem habitu se ferebat, è templo egrediente, per irrisionem percunctata fuerat, *vtrum Rusticorum Missa iam peracta esset*: Ibi ille, *Etiam*, inquit, *iam vero Meretricum incipit. ideoque properandum tibi intelligo.*

Tosettus Patauinus Philosophus mulieri obuiæ via decessit, hac se comitate erga illam vti

vti inquiens, quod videret eam & mulierem & bellam esse. Ibi illa siue fastu elata, siue irriderise existimans, At tu plane deformis es, inquit. Tosettus, *prius ego*, inquit, *mendacium dixi; iam tu alterum dicis.*

Nobilem virginem iuuenculam duo equites simul ambiebant, vnus valde adolescens, alter provectioris ætatis. Præsente puella, adolescentior vt seniorem pungeret rogabat, *Quot annorum esset: Non*, inquit alter, *adeo accurate numerum iniui: id tamen scio, asinum viginti annorum homine sexagenario longe seniorem esse.*

Ioannes Dux Andegauensis ad Neapolitanum regnum occupandum proficiscens, vexillum suum ita inscribi iusserat: *Fuit missus cui nomen erat Ioannes.* At Alphonsus suum: *Ipse venit, & non receperunt eum.*

Hypocrisis.

OPulentus quidam mercator pauperem obseruarat, qui quotidie precationum libellũ & rosariũ manu tenẽs, sacris intererat, & in omnibus singularẽ deuotionẽ præseferebat. Cũ eo igitur aliquãdo colloquutus bonã argenti summam sine vllo

chirographo ei mutuo dedit: quam postea quum repeteret, ille non modo debitum negauit, sed ne nouisse quidem hominem dixit. Hinc mercator ille ab alijs quod tam facile ignoto argentum credidisset, irrisus, *At non,* inquit, *Marcus Rauennas* (hoc enim nomen alteri fuerat) *sed libellus ipsius & rosarium me deceperunt.*

Nulla calamitas sola.

M. Paullus Neapolitanus Iurisconsultus audiens amicum quendam suũ consumtis fere omnibus fortunis, etiam ob nescio quod vitium ab vxore exclusum, *Mirum hoc est*, aiebat, *eum qui tam facile Patrimonium consummauit, Matrimonium non posse consummare.*

De Astutia non iactandum.

DVo mercatores de prudentia & sagacitate inter se contendebant. Tum vnus prouerbium illud vulgare vsurpans, Equidem centies, inquit, te ego vendiderim prius quam tu me semel. *Recte autumas*, inquit alter, *neque enim vel obulum quisquam pro te mihi dederit.*

Verax.

Verax.

DE re neſcio qua Petro Marzono & Ioanne Polito coram mercatorum collegio litigantibus, quum Marzonus cauſſam ſuam expoſuiſſet, Politus ad iudices, Ne, inquit, vos fidem huic habete: *ego vobis euangelium* (id eſt ipſiſſimam veritatem) *dicam.* Tum Marzonus, detracto pileo, & aperto capite deuotus aſtitit. Mirantibus iudicibus, Quin vos, inquit, idem facitis, dum hic Euangelium nobis legit. Ridiculum.

Fundis quidam ornati incedunt.

POmpoſus quidam venditis ædibus veſtes ſuperbiſſimas ſibi confecerat: quē toga damaſcena indutum, ac valde ſudantem quidam conſpicatus, alteri commōſtrans, Quam hic ſudat, inquit. Ibi alter: *Quid mirum: quum tantum onus, totam ſcilicet domum circumferat.*

Salutatio iocoſa.

PHilippum Beroaldum quidam obvius ita ſalutauit: *Deus det vobis bonum ſero.* Cui Beroaldus: *Et vobis malum cito.*

Sitis remedium.

FEbri quidam calidissima ac proinde magna siti laborans, medicis de remedijs contra sitim consilia cōferentibus, *Vos, ait, febri remedia quærite; siti ego remedium facile ipse inuenero.*

Præsentibus vtendum.

PEtrus Marzus Senensis amicum cœlo admodum turbido & non pluuias tantū, sed grandinem quoque minante, iter facientem amantissimis verbis vt in ædes suas, quoad præterijsset tempestas, diuerteret, inuitarat: is vero nihilominus iter prosequens cum vix octauam milliaris partem emensus esset, tam effuso imbre tamque turbulenta tempestate, exceptus fuit, vt pergere amplius non posset. Reuersus igitur ad Marci villam, fores pultat; ac prospicienti è fenestra Marco, *Amice*, inquit, *prius illud meum propositum mutaui. Et ego meum*, respondit Marcus; statimque se subduxit. sic illi alibi hospitium fuit quærendum,

Iudex indoctus.

COram iudice quodam duo de hæreditate contendebant. vno tandem dicente

rente; *hanc defuncti voluntatem non eſſe*, iudex? Quid opus eſt, inquit, diuitius litigare? vos *Defunctum* illum cras adducite vt è præſenti quid velit exquiram. Exiſtimabat *Confunctus* hic, *Defunctum* teſtatoris eſſe nomen, & eum adhuc viuere. Vtinam hodie quoque eiusmodi hominibus iudicia & publica munera non committerentur.

Iuſtitia aquæ ſimilis.

NOn inſcite quidam Iuſtitiam Aquæ comparat. Sicut enim aqua à curſu ſuo impedita, obſtacula quævis rumpit ac obvia quæque ſecum rapit, aut vndiquaque ſtagnans omnia operit; ita Iuſtitia ſibi obſiſtentes tandem in certiſſimum exitiũ devoluit.

In ſimulatorem.

PRinceps quidam Italus, ex gentis more, perſonatus ſæpe diſcurrebat, ac quamvis etiam vili & abſurdo maxime habitu indutus, plerumque tamen ab iis quibus occurrebat, agnoſcebatur. Id ægre ferens, Fetum Paullum Codonum, mordacem hominem, rogauit, anne modum aliquem sciret perſonam ita regendi, vt à nemine agnoſceretur? Adſtabat Ioannes Palmerius,

homo astutus & versipellis. Tum Codonus, *Optima*, inquit, *ratio fuerit, si agnosci nolis, Ioannis Palmerij assumere personam*: Astutum illius & tectum animum significans.

In caussidicos.

ADuocatus quidam, post multas in foro victorias, vitæ monasticæ nomen dedit. Quum vero monasterij negocia procurare iussus, caussa fere semper caderet, mirantibus fratribus, Necesse est, inquit, vt alium meum in locum substituatis. Quia enim mentiri & falsum dicere iam dedidici, exigua sane spes est me vlla in caussa superiorem futurum.

Ita contende, ne amittas.

DVo asinum forte fortuna sine hero vagantem repererant. Vtroque vero suum esse contendente, interim asinus clam subduxit se, & vterque domum inanis redijt.

Pietas rara.

BIas à quodam quid Pietas esset interrogatus, nihil omnino respondit. Tandem illo responsum valde vrgente, Quid, inquit, *tu rebus nihil ad te attinentibus quæris?*

Idem cum flagitiosis quibusdam nauigãs horribili orta tempestate, omnibus vota facientibus, & clara voce deos obtestantibus, Summissius, inquit, aliquanto loquamini, ne dij vos hic esse sentiant.

Facetum Gonellæ dictum & factum.

GOnella Italus, omnes inter sui temporis sanniones & facetos homines primas tenens, cum Nicolao Ferrariæ Marchione frequenter versabatur. Habebat vero equum admodum paruum, cui Marchio clam caudam abscindi iussit. Mox Gonella mulis aliquot, qui ibidem stabulabantur, superius labrum discindit. Apellatus Gonella, nihil omnino sese excusauit, sed tantũ vt damni fieret æstimatio petijt. Quæ vt cõmodius fieret, muli primum, deinde Gonellæ equuleus ita vti erat decurtatus, producti sunt, maximo cum omnium, & ipsius inprimis Marchionis risu. Tum Gonella ad Marchionem & ceteros, Quum, inquit, nemo vestrum in hoc spectaculo risum tenere possit; an existimatis mulos hos quotiescumque caballum hunc meum ipsis tam familiarem, cauda priuatum aspiciunt, risum tenere posse. Hic omnibus in multo maiorem risum

ſolutis, Gonella abſolutus, & facetiſſimus omnium homo iudicatus fuit.

Et ſurgendum, & agendum.

LAurentius Medices à familiari rogatus, cur ſomnum in multam lucem produceret, Quid tu, inquit, ergo mane agis? Quum ille neſcio quæ negociola à ſe confecta memoraret, Laurentius ait: At quæ ego mane ſomnio, pluris ſunt ijs omnibus quæ tu mane agis,

Mercatorum fides.

QVum de mercatore quodam magnæ inter ſuæ profeſſionis ſocios fidei, ſed extremæ auaritiæ ſermo incidiſſet, Ioannes Medices, Ecce, inquit, ſingularem Dei miſericordiam, patientis vt ei qui in ipſum non credit, omnes homines vltro credant.

Diuitiæ iniuſtæ.

DIcere quidam ſolebat, Beatos in his terris illos eſſe quorũ patres ininferno ſepulti ſint, innuens eos quibus parentes multas diuitias, quæ plerumque vſura & alijs eiuſmodi artibus comparantur, reliquerunt. At plerumque *male parta, male dilabuntur.*

Stultos fuge.

COsmus Medices dicebat à stultorum siue morionum & id genus hominum consortio & colloquio omnino abstinendum: vt qui cuicumque, nullo habito respectu, male faciant aut dicant.

Venetijs ad nobiles quosdam in foro D. Marci obambulantes quidam accessit, stipem rogās, addita promissione insignis cuiusdam & saluberrimi remedij, quod communicare ipsis velit. Acceptis hinc aliquot numis, singulis filium quatuor vlnas longum reddit, suadens, vt quemcumque stultum ad se propius ne accedere paterentur.

Idem Cosmus cuidam iactanti, quod sua opera à præsentissimo vitæ periculo conseruatus esset, Si, inquit, periculum illud tu cum alijs prius mihi non creasses, idem à me depellere nihil necesse habuisses.

Idem alij in Senatorum numerum recipi cupienti, ac dicenti eo se honore dignum esse, vt qui numquam quidquam contra Rempublicam tentârit, sic respondit; *Qui non est mecum, contra me est* Rempublicam enim ad Principatum redegerat Cosmus.

Odore pastus, sono soluit.

VIator in diuersorium serius aliquanto veniens, iam reliquis hospitibus cœnantibus, & nihil reliqui facientibus, noctem illã ita vti venerat famelicus transegit. Mane quum abire vellet, hospes adest, & symbolam sibi solui iubet. Quid? inquit ille, an quidquam ego soluam qui nihil omnino cibi degustaui? At odore, inquit hospes, pascere te potuisti. Bene, ait alter: & prolato è pera scutato, & in abacum quasi sonitus explorandi gratia proiecto, Quid tibi videtur, inquit: an bona hæc est moneta? Videtur, ait hospes. Ergo, inquit, pro cibi tui odore sonitũ mei numi pro symbola cape: sicque abijt. Cretensis cum Cretensi.

Patria non vituperanda.

PErettus Mantuanus, Philosophus acutissimus, facetus etiam, sed nescio quam ob caussam à patria valde alienus, auditoribus aliquot præsentibus, Mantuanos natura stupidos esse, & ad doctrinam capiendam parum aptos dixerat, vsus ad id probandum vulgaris tum prouerbij testimonio. Tum ex auditoribus quidam: Ne hoc dij siuerint, magister, inquit, vt quod iocando

forte

forte dicis, verum sit: nisi forte tu nothus patriæ & plane degener videri velis.

Nemo sine crimine.

MOtto homo eruditus, sed à Natura altera manu priuatus, à Legatione quadam rediens, & Pontifici quæ egisset exponens, sæpius à Cardinali quodam interpellatus vbi alterum reliquisset brachium, quum fere iam perorasset, Sancte Pater, inquit, nemo est omnium hominum quin defectum aliquem patiatur. Aliquibus sine pedibus, quibusdam sine manibus, nonnullis etiam sine cerebro nasci contingit. Atque ita Cardinalis illius stuporem satis acerbe perstrinxit.

Ars imperandi.

ROgatus quidam, qui fiat quum nemo facile alicujus etiam leuis artis quam non didicit, scientiam venditet; & ars imperandi longe omnium sit difficilima: omnes nihilominus imperare cupiant? id eò fieri respondit, quod qui imperare nesciunt, pro stultis habeantur, nemo vero sit qui sibi ipsi stultus videatur.

Stultus.

PArasitus cuidam quærenti, cur stultum se fingeret, quum tantum, aut forte etiã plus quam qui valde sapientes sibi videntur, saperet: In hoc, inquit, male mecum fortuna agit, quod ego quanto stultiorem me fingo, tanto sapientior habeor; econtra filius meus, quanto magis laborat vt sapiens habeatur, tanto stultior omnibus videtur.

Strategema parasiticum.

FAmelico cuidam in taberna minuti pisciculi, aliis vero non procul inde sedentibus maiores pisces erant appositi. Tum ille vnum & alterum, quasi percunctaturus aliquid auri admouit, Mirãtibus quid hoc sibi vellet, Pater, ait, meus piscator fuit, & olim in flumine periit. Ex his igitur quid illo factum sit, sciscitari volui at eum sese nouisse negant, vtpote iuniores; & si quid certi scire velim, ex maioribus illis exquirere iubent.

Iocus in Iudæum.

IVdæus quidam S. Ioannis Apostoli effigiem argenteam Alphonso Regi licitan-
ticam

ti,eam quingentis ducatis æstimauit siue indicauit. Tum Rex, Heu, inquit, quantopore tu à maiorum tuorum moribus degeneras! Illi enim herum & magistrum triginta denarijs vendiderunt,& tu discipuli effigiem quingentis ducatis æstimas.

Nihil cum flagitiosis.

QVidam nescio quod ob maleficium virgis per vrbem cæsus ducebatur. Quum vero is tarde admodum incederet,quidam miseratione ductus,hominem increpauit,dicens: Quid tu,miser,tam lente, velut animi gratia ambulans,incedis? Quin potius grandibus is gradibus, vt tanto citius doloribus tam crebrorum ictuum libereris? Ibi trium ille litterarum homo consistens, quam potest alte exclamat; Quid ad te,attinet,bone vir,lente ego vel velociter eam? Ego iam meo modo incessero: tibi, si quando itidem virgis ita cædaris, tuo quoque modo incedas licet.

Astrologiæ vanitas.

QVodã discipulis suis stellarũ & inprimis planetarũ siue errantiũ stellarum cursum demonstrante, Iulius Fauentinus, At, illi, inquit nequaquã errant, sed vos.

Bona dos mulierum, multi anni.

QVum de matrimonio quodam sermo haberetur, & sponsam alius tot, alius vero plures habere annos dixisset, quidam, Quanto plures, inquit, habet annos, tanto meliorem habet dotem.

Capilli cur citius quam barba canescant.

DOctus quidam homo ad Principem vocatus, & varijs de rebus interrogatus, tam sapienter ad omnia respondit vt omnibus esset admirationi, præsertim quum non admodum prouectæ ætatis videretur. Tandem Princeps, quot natus esset annos rogat: illo quinquaginta iam se impleſſe dicente, Princeps, Qui fit, inquit, quod nondum canescas? Tum ille detracto pileolo, quo caput hactenus tectum habuerat, canos ostendit: quos miratus Princeps, At quid hoc rei sit inquit, quod in barba tua vix vllũ, caniciei appareat vestigium? Nihil mirum, inquit alter, quum barba viginti annis iunior sit capillis.

Vnus

Vnus inimicus nimis.

CIuem quendam Cosmus Medices monebat, vt cum inimico quamprimum in gratiam rediret. Quum ille diceret se hominis eius inimicitiam non multum curare, vt qui præter hunc, neminem inimicum haberet: Cosmus, Quin tu, ait, consilio meo morem geris? Nam potentibus quoque vnus hostis nimis, & vel centũ amici parum sunt.

Paradoxum.

PRosper quidam pauperes ingluuie, diuites fame, & clericos frigore perire dixit. Hoc vero sic expicabat. Quando pauper aliquis in morbum incidit, statim omnes cognati & propinqui alius hunc alius alium cibum congerunt: vnde ille inuisitatarum deliciarum auidus, ita sese implet, vt stomacho nimium grauato, cruditate tandem moriatur At diuites ad euacuandas superfluorum ciborum reliquias tam tenui ac rigida dieta à medicis constringuntur, vt debilitatem inde contractam vix vmquam restaurare possint. At clericis, qui nec coniuges nec liberos hæredes habent, quãprimũ ægrotare incipiunt, famuli, domestici, vicini, cognati & vestem

vestem qua se tegunt, & lectum in quo cubant, viuis etiam ac videntibus auferunt, vt ita miseri frigore mori cogantur.

Ne certa pro incertis.

IMperator Maximilianus I. à Rege quodam ad fedus contra alium Principem inuitatus, hac conditione vt illo victo plane & profligato, opulentissimus quidam Ducatus Cæsaris esset, sic respondisse dicitur. In Germania nostra tres fuerunt robusti iuuenes, qui quum in caupona quadam dies aliquot noctesque genio indulsissent, hospiti promiserunt, se symbolam ipsi soluturos è precio pellis cuiusdam vrsi, qui toti viciniæ multum damni dabat: ad quem capiendum iamiam sese accingebant. Sic igitur in syluam profecti, paullo post vrsum obuium habuerunt: quo conspecto, tantus eos metus inuasit, vt è vestigio quisque quà poterat, diffugeret: vnus tamen quum euadere se non posse cerneret, humi se se tamquam mortuum prostrauit. Adest mox vrsus, & admotis naribus, an vitæ aliquod in eo vestigium aut signum superesset, explorat; quo non reperto, intactum hominem relinquit, & abit. Liberatus ille hoc periculo surgit, & paullo post ad socios, qui hæc eminus conspexerant, venit.

nit. Rogatus quid ipsi in aurem insusurrasset versus: Hoc, inquit, ne prius pellem ego vendam quam feram ceperim. Hoc cum responso legatos dimisit, monens, prædam non diuidendā prius esse quā hostis sit profligatus.

Tributa odiosa.

CArdinalis quidam apud omnes graui odio laborabat, quod Pontifici nouarum contributionum ac vectigalium auctor vulgo crederetur. Quum vero coram Pontifice & quibusdam secretioribus Consiliarijs pecuniæ conficiendæ rationes inirentur, quidam ex his Cardinali parum æquus, Equidem, inquit, Sanctissime Pater, nullam ego meliorem citra omnem subditorū querelam, immo cum ipsorum quoque gaudio colligendæ pecuniæ rationem nouerim quū vt Armellino (id enim Cardinalis nomen) pellis detrahatur, & per ditionem vestram vt luporum pellibus fieri solat, circumferatur. Neque enim dubito quin subditi omnes pro ea saltem inspicienda, stipem vltro sint collaturi. Nihil commotus Armellinus, Bene, inquit, est, quod tua ipsius confessione etiā mea mortui pellis alicui vsui esse potest: de te vero id ego certo scio, nec viuum nec mortuū te cuiquam vsui futurum.

Fortuna

Fortunæ lusus.

QVum ad Cosmum Medicem litteratus quidam, sed male admodũ vestitus venisset, stipem ab eo petens; Cosmus inter alia percunctabatur, cur tam pannosus incederet: A latronibus spoliatum se dicenti, Credibile magis est, inquit Cosmus, forsan lusu vestes & numos perdidisse. Excipiens scholaris, Fateor, ait: & in hoc quidem lusu tam meam quam multorum aliorum partem fortuna tibi, vt video, adiecit: significans scilicet, diuitias esse quasi fortunæ lusum, quæ quod vni eripit, alteri confert. Argutiam huius responsi miratus Cosmus, hominem & noua veste, & honesto viatico donauit.

Sollicitudo.

IMperatore in Italia bellum gerente, Antonellus quidam Foroliuiensis, militum ductor, clam antequam ad manus veniretur sese subduxit. Hic quum postea in Cosmi Medicis familiam receptus esset, & Astor quidam eius sollicitudinem sæpe deprædicaret, Cosmus tandem inquit; Sane sollicitudinem ille suam satis demonstrauit, ante tempus fugiendo.

Hominum

Hominum perversitas.

QVidam in balneas iturus, mendico stipem petenti numum dederat. Id conspicatus comes eius, parasitus, Cur tu, inquit, huic pecuniam das, qua ipsi nos indigemus. Eò, inquit ille, vt precibus eius adiutus, & simul diuinæ obsequens voluntati, tanto facilius ad cœlum euolem. Cui ille: Tum sane tu stultus es, qui plus sumtus in balneas, vbi tantum vnam aut alteram horam mansurus es, quam ad cœlum vbi in æternum mansurus sis, consequendum facis.

Mors odiosa.

MOrtem quidam dixit, quum Iupiter eam in terram ad homines mittere vellet, diu prouinciam hanc deprecatam esse, vt quæ sciret quam odiosa omnibus mortalibus futura esset. Tum Iouem, vt confidenter iret, neque odium hominum formidaret, hortatum esse: facturum enim vt eo ipsa magna ex parte liberetur, mortis caussis varias, atque etiam minimas in res translatis.

Clemen-

Clementia Principi propria.

ALphonſus Rex ob nimiam manſuetudinem & clementiam a quodam reprehenſus, Tu, inquit, exſpecta dũ Leones & Vrſi regnauerint: ego quidem illud ſcio clementiam homini, ſed inprimis Principi; crudelitatem vero beſtijs conuenire.

In tyrannos ſiue imperium affectantes.

SEnis in Italia ſexviri olim creari ſolebãt, penes quos ſumma erat Reipublicæ: eorum tamen magiſtratus bimeſtris tantũ erat. Moris vero erat vt ſinguli vnum diem in collegas haberẽt imperium, eosque certis & ad id deſtinatis locis conuenire, ac de rebus propoſitis conſultare iuberẽt. Eo die finito, is qui præſederat quaſi ſe abdicans, alteri imperium vna cum eburneo quodam ſcipione, imperij inſigne tradebat, plerumque tam ad iſtum quam alios collegas accommodata ad rem oratione vtens. Accidit vero vt quo tempore Pandulphus Petrutius per ſummam aſtutiam Rempublicam inuaſerat, vt è Boninſigniorum quidam familia è ſex virũ vnus, poteſtate illa quodam die perfunctus,

collegæ

collegæ imperium resignarit, & post elegãs exordium in hanc narrationem delapsus sit: quomodo scilicet Satanas, potestate à Deo accepta, pium illum Iobum armentis, seruis, ædibus, filijs ac tandem ipsa quoque corporis sanitate priuarit, nec quidquam ipsi reliquerit quam vxorem, non in solatium, sed ad maius tormentum, vt scilicet sua importunitate omnes illas calamitates misero Iobo multo magis exasperaret. Ijsdem, inquit, artibus Pandulphus Petrutius, postquã omnem publicam auctoritatem & potestatem in se transtulit, publicos reditus omnes & vectigalia sibi vindicauit, & vt vno verbo dicam, Rempublicam nostram pessum dedit, & quasi in tyrannidem conuertit, hanc saltim nobis publici imperij speciem reliquit, non vt dignitati nostræ & honori deseruiret, sed vt dolorem miserorum ciuium multo magis incenderet & aggrauaret: qua quidẽ ego iam me abdico, eamque in hunc collegam nostrum, qualis ea ab illo nobis relicta est, transfero. Hic dictis, tacuit, & omnium in animis acerbam de præsenti rerum statu cogitationem reliquit.

Iudices

Iudices vngendi.

Non minus vere quam eleganter quidam ait, qui negocia sua feliciter expedire velit, ei Iudicis manus vngendas esse: quod quidem vnguentum tantæ virtutis est, vt & cuicumque caussæ apud Advocatos alium colorem, & apud Iudicem ipsi quoque Iustitiæ alium habitum conciliet. At vnguentum hoc non ex oleo, sed ex auro & argento confici debet. Mysteriū hoc non intelligens mulier quædam, cui nescio quæ caussa apud iudicem erat, monita à vicino, vt si quid impetrare vellet, Iudici manus vngeret, lecythum oleo plenum secum detulit, & ad Iudicem accedens, manus ipsius per vngere cœpit. Mulieris simplicitatem, & ipsius actionis mysterium intelligens Iudex, satis, inquit, huius vnctionis est: at iā ad extergendas manus vlnis aliquot panni opus sit. quas quum postea mulier ad Iudicem tulisset, & quod petierat obtinuisset, vnctionis nullam, sed detersionis magnam vim esse prædicauit.

Quemadmodum aurum Lydio lapide, ita homines officijs & muneribus probari, Alphonsus Rex dicere solebat. Cui simile est illud vulgatum: M*agistratus virum ostendit.*

In

que etiam à vero videri aliena. Ne ergo quomodo id quod dixerat accipiendum sit, quisquam dubitare possit, velle se, pro suo more, apertius aliquanto id declarare, nimirũ quod in vniuersum de dubia Principum salute dixisset, cum limitatione quadã intelligendũ. neque enim se à regno cœlorum eos exclusos putare qui infra septimum ætatis annum moriantur: sed eos tantum quos ætas, & rerũ omnium licentia corruperit. *Acerbe & nimis Satyrice.* Sed est Deo gratia, quod vix vllum sæculum nostro, bonorum, prudentium & litteratorum Principum fuerit ferácius; vt iam illud locum non habeat, *Omnium bonorum Principum nomina in vno annulo scribi posse.*

Neuter offendendus.

Gallis ingenti strage à Consaluo Ferdinando Hispanorum duce profligatis, Hispaniæ Regis Orator Duci & Senatui Veneto tantam sui Regis victoriam nunciaturus, in curiam sese cõtulit; quo paullo post Galliæ quoque Regis Orator venit. Quũ ergo ambo introducti vnus quidem læto & erecto, alter tristi & demisso vultu cõsedissent; M. Leonardus Lauredanus vtrumque ita affatus est: Inpræsentiarum quidem

ego tam consilio quam verbis Diui Paulli Apostoli vtendum mihi video, vt videlicet, quũ Dei voluntati nemo resistere, & factum infectum fieri nequeat, *gaudeam cum gaudentibus, & fleam cum flentibus*. Quibus quidem sapientissimis verbis omnem inuidiam & odium vtriusque gentis vitauit, & cum vtriusque Legati gratia, singularem prudentiæ laudem est consequutus.

Ne tu cede minis.

FRidericus Comes Mõtefeltrius decẽnis puer pro Guidone patre apud N. Malatestam Ariminensem obses relictus, quum finitis inducijs pater, Malatestæ ditionem armata manu iterum inuasisset, Malatestæ minanti, si secundùm pater eius armata manu redisset, capitis se de ipso supplicium sumturum, sine vlla cunctatione respondit: quod si pater meus tertiùm redierit, de quo tum supplicium sumes? Vox non puero, sed cordato viro digna.

Semper liberalis generositas.

CAieta expugnata, Consaluus Ferdinãdus multis Gallorũ, ne pedites domũ reuerterentur, equos donauit. Tũ Obignius dux eorũ, Quæso te, inquit, vt equos nobis quãoptimos præbeas, qui scilicet & abeunti

abeuntibus nobis & mox reuertentibus vsui esse, ac viæ laborē ferre possint: innuens scilicet bellū nondū confectū, sed mox redintegratū iri. Tū Consaluus, Redite, ait, quando & quotiescumq; vultis. Equidē equos hos, vestes & alia quæ lubens iam vobis do, etiam reuersi postea à mea liberalitate facile rursus impetrabitis.

Vna fidelia plures dealbare parietes.

HIbernus quidā Romā profectus Cardinalē cuius opera indigebat, adiens, vt tanto eū promtiorē sibi redderet, insignē aiebat astúrconem sese adduxisse, sed eundē, quod malæ soleationis vitio claudicaret, Bononiæ reliquisse, Cardinali destinatum munus. Ibi Cardinalis, Ne tu cura, inquit, quod male ille soleatus sit. Si enim male soleatus nō esset, mihi forsan soli donasses; at iam eūdem omnibus reliquis Cardinalibus donare poteris.

Non barba sed cor.

AD Imperatorem Veneti legatos miserant: quibus quod non admitterentur caussam rogantibus, responsum fuit, Mirū videri Imperatori, quū id genus munera grauibus & sapiētib' viris demādari soleāt,

Venetos ex omni Patrum Conſcriptorum numero neminem reperire potuiſſe quam duos eiuſmodi iuuenes, qui hac legatione fungerentur. Quum ergo iuuentutem ſuam deſpicatui haberi animaduerterent Legati, ab Imperatore ad colloquium ſemel tantum admitti petierunt, polliciti de ijs quæ in mandatis haberent, ne verbum quidem facturos. Quo impetrato, alter eorum ſic exorſus eſt: Si Venetorum Respublica, Sacratiſſime Imperator, ſapientiam non in corde hominum ſed barba ſitam eſſe crediediſſet, iam quidē ad Cæſaream V. Maieſtatem duos vetulos & barbatos hircos miſiſſet. Quibus ex verbis Imperator quibuscum hominibus ſibi res eſſet intelligens, comiter eos audiuit, & liberaliter dimiſit.

Externus honos.

ROmæ inter duos diuerſæ nationis cō-tentione orta, vtra gens Chriſtianæ religionis ſtudium feruentius amplecteretur: vno iactante quantus honos S. Euchariſtiæ tā publice quā priuatim apud ſuos quid haberetur; alter, Nihil mirū hoc, inquit; nam & nos *peregrinis ſiue extraneis* quas poſſumus honoris ſignificationes exhibemus

Quæ-

Quævis caussa tyranno satis est.

CAstrutius, qui Lucensem Rempublicam aliquamdiu tyrannide oppresserat, ab amico reprehensus quod è Quartigianorum familia quosdam occidi iussisset, dicente, multorum eum animos à se abalienaturum, si veteres amicos tam male tractaret: *Nihil hoc*, inquit, *ad veteres amicos, sed ad nouos inimicos attinet.*

Eiusdem factum cuidam damnanti, quod scilicet Luparum virum bonum, prudentissimum, & ipsi fidelem ab omnibus habitum, bonis spoliatum, in exilium eiecisset, subridens respondit Castrutius: Non prudentia, sed auaritia; non fides sed proditio Lupari à me punita est. Vir bonus esse non potest qui auarus est. Quamdiu vitia eius ignoraui, vt charissimum amicum habui & colui: at postcaquam ostendit pecuniam se cariorem habere quam meam salutem; me quoque fortunas & pecuniam Lupari quam ipsum Luparum pluris facere oportuit.

In monachatus desertorem.

QVidam monachus factus, post abiecto cucullo, ad sæcularem vitam, vti vo-

cant,rediјt; vtque scomnata malevolorum vitaret,à publico & aliјs hominũ congressibus diu abstinuit. Tandẽ quũ ab amico ad cõuiuiũ inuitatus,ibi etiã à nescio quo tamquã excucullatus ludibrio haberetur, ac pudore totus suffunderetur;assidentiũ aliquis,*Ne vos* inquit,*existimate hũc eius pudere quod cucullũ abiecerit,sed eius potius quod vmquam induerit.*

In auaros.

AVarus quidã vinũ quod familiæ præbebat,enormiter admodũ aqua diluere solebat,vt posca esset vilius;idemque mãducantes vel mẽsæ adstans,vel obambulans,vel è regione sedens,diligenter obseruabat. Vnũ vero aliquando strenue tuburcinantẽ videns, continere se non potuit quin exclamaret.*Ecquando molendinum hoc sistetur.* *Non tam cito hoc fiet*,inquit iuuenis:*quandoquidem tu aquam affundere non cessas.*

In malam mulierem.

QVodam feminam parum honestam, tamquam singulare pudicitiæ & reliquarũ muliebrium virtutũ exemplar dilaudãte,Camilla Arnolphina quæ feminã illã forte melius nouerat,*Immo*,inquit,*piaculare puto talem feminam non comburi,& cineres*

eius,

eius, memoriæ caussa, asseruari.

Eadem quum de homine quodam proceræ staturæ, sed paruæ sapientiæ facta esset mentio, *An nescitis*, ait, *superiores celsiorum ædium partes non habitari?* Caput cerebro vacuum habere significans.

Blanditiæ subrusticæ.

Nicolaus Picinninus, strenuus & magni nominis bellator, ab Antonio Panormitano obuio honorifice salutatus, & ipse ciuilitate aliqua vti volens, militari plane voce & gestu contrà eum compellabat: *Ita viuam Antoni, vt quotiescumque te video, cæcum me esse cupio.* Perturbatus his verbis Panormitanus, vbi se collegit, *Quam ob rem*, inquit, *mi Domine? quisquã ne est qui virtutem & res præclare à te gestas plus in oculis atque animo ferat quique tui honoris sit studiosior, quam ego?* Hic subridens Picinninus, rudes & militares mores ad ciuilitatem accommodans, *Sic habeto*, inquit, *quoties ego cumque te hominem tanta ac tam multiplici doctrina ornatum intueor; deinde me meamque ignorantiam considero: me & odisse te tamquam mihi contrarium, & uereri simul, tamquam hominem litteratum.* Ait Panormitanus, numquam sibi initio maioris perturbationis, nec in fine maioris risus materiam obiectam esse

Modus vt quis videatur sapiens.

FLorentiæ Antonius Puccius cum ne-scio quo egerat, vt tam necessario Reipublicæ tempore Confalonieri, siue Vexilliferi, quæ inter primas dignitates est, officium acceptaret. Eum, se excusantem quod tantam sapientiam non haberet quantam munus illud requireret, Puccius rogat. An si tantum saperet quantum Cosmus Medices, satis sapiens sibi videretur? Immo, inquit ille, vel dimidium, credo, ad hoc mihi suffecerit. Tum Puccius, Quid si ego consilium tibi dedero vt plus illo sapere videare? Sed quid ais: nihilne omnino sapis? Aliquantulum fortassis, inquit alter. Bene, ait Puccius. Fac ergo id quod Cosmus tibi suaserit & dixerit; sicque ipsius sapientiam quasi tuam facies: cui si illud etiam quod à teipso habes, adiunxeris, tanto plus Cosmo sapere videberis.

Modus rationes reddendi.

MAximilianus I Imperator quum erga omnes, tum præcipuè erga sanguine nobiles, sed fortunis pau-

peres

peres admodum fuit liberalis. Ex horum numero aliquem ad nescio quam Imperij ciuitatem miserat, qui centum florenorū millia fisco Imperatoris debita, postularet. Et hic quidem in exsequēdo sibi commisso munere tanta dexteritate & diligentia vsus est, vt quinquaginta florenorum millia extorserit: de quibus triginta millibus Imperatoris fisco illatis, residuum sibi seruauit. Id quum postea rationum magistri cognouisset, Imperatorem monuerunt vt ab homine illo rationem reposceret. Vocatum ad se Imperator, rationem eius quod accepisset reddere iubet. Ille facturum id se recepit, ac discessit. Paucos post dies, illo non comparente, Rationarij Imperatorem rursus instigant vt illum ad rationes reddendas euocaret: qui quum comparuisset, Imperator, Non tu promisisti nuper, ait, te quamprimum rationes redditurum? Sic est, inquit ille, inuictissime Imperator; & iam in eo sum. Hinc existimans Imperator, libros illum & aduersaria interea inspicere velle, rursus dierum aliquot moram homini indulsit: quibus elapsis, Rationarij hominem multis modis apud Imperatorem criminati sunt, vt qui non solum acceptam pecuniam mala fide tractasset, verum etiam aperte nunc Cæsaris mandatū

contemneret. Tertium ergo ad Imperatorē accersitur, & sine vlla ampliori dilatione præsentibus Cæsaris quæstoribus & Rationarijs, rationes reddere iubetur. Ille nō ignarus, horū suasu & instigatione (vt qui quod illi accesserat, sibi decessisse existimarent) Imperatorē tā serio rationes poscere, ad eius Maiestatē humili gestu & voce cōuersus, sic infit: Rationes reddere, inuictissime Imperator, nō quidē recuso: veruntamē quū artis huius mihi antea inusitatę minus peritus sim, hi vero qui ad accipiendas à me rationes parati abaco assidēt, artē hanc ad vnguē calleant; quam humilime rogo & oro, vt ij præsente Vestra Cæsarea Maiestate ac me inspectāte, prius à se accepti & expensi rationes reddere iubeantur. neque enim dubito quin hæc vna inspectio facilem mihi & meas rationes reddendi modum cōmonstratura sit. Imperator quid hæc sibi postulatio vellet optime intelligens, Æquū petis, inquit: ac dimisso nobili quæstorum suorū rationes postea diligentius inspexit. Vulgo dicitur: *Minores fures sunt in compedibus ferreis, sed maiores in torquibus aureis.*

Aliud non minus facetum.

MOnacho cuidam, Theodorico Ragel-uidio nomine, Carolus IV. Impera-tor

tor arcis nescio cuius quæsturam demandarat: quam ille sic administrauit, vt breui magnas diuitias corraserit. Delatus ab inuidis apud Imperatorem quod mala fide in bonis ipsius administrandis versaretur, & suis tantum studeret vtilitatibus, & statuto eam ad rem die, præsente Imperatore & iis qui male fidei ipsum insimuluuerant, rationes reddere iussus, *Nulla mora*, inquit, *opus est, inuictissime Imperator: quod iubes, hac ipsa hora facere paratus sum.* Iussus ergo statim libros & alia ad eã rem necessaria afferre, *Ne his quidem*, inquit, *opus est. Mearum rationũ summã accipite. Quum huic muneri à te præpositus fui, clementissime Cæsar, vili & monachali habitu indutus, pauxillulũ pecuniæ in crumena habui. Id si per V. Maiestatẽ retinere mihi liceat, est quod gratias agam. Si quid amplius habeo, id omne tuum est, ô Imperator: cui etiam lubens volens omnia reddo.* His auditis, ad circumstantes, ac præcipue Theodorici delatores conuersus Imperator, *Quis vestrum*, inquit, *est qui hunc in modum rationes mihi reddere paratus sit?* Silentibus cunctis & pudore confusis, Imperator Theodoricum complexus, bono animo esse iussit: atque eũdem postea ad Episcopatum Mindensem, tandem etiam ad Magdeburgensem Archiepiscopatum promouit.

Beneficiorum obliuio.

PRincipi N. nobilis quidam valde generosum equum donarat, ſpe gratiæ & fauoris, ſi quando opus ſibi foret, præſtandi. Equum hunc quum poſt aliquot menſes alius Princeps vidiſſet ac vehementer laudaſſet, ſimulque quæreret, vnde aut à quo haberet? Ille neſcire ſe reſpondit; credere tamen ſibi à neſcio quo donatum. Verba hæc nobilis ille qui donarat, non procul inde ſtans, audiens, facile conijcere potuit quænam ſibi inde ſperanda eſſet remuneratio. quare de equo ſuo recuperando conſilium inijt. Quodam ergo die equiſonem ſiue ſtabularium qui equum ad proximam piſcinam aquatum ducebat, inſequutus, arrepto fræno, furem inclamat, involat, & pugno contundit. tum ſine mora equum ad Iudicem adducit, ac ſuum eſſe multis teſtimonijs probat. Princeps à iudice quid hac in re fieri vellet rogatus, ei cuius eſſet, equum reſtitui iuſſit; ac ſimul mandauit vt is qui ſibi hunc equum donaſſet, diligenter inquireretur, quem aiebat graui ſupplicio dignum, vt qui alienum & furtiuum equum Principi donare auſus eſſet. En hominem ipſarum Gratiarū & Mnemoſynes manibus factum!

Maio-

Maiorum amicitia parum tuta.

DVx quidam à duobus potentissimis Regibus ad ineundum secum fedus inuitatus, sequenti apologo modeste sese excusauit Lepori quondam Vrsus, Leo, & Aquila amicitiam suam, atque etiam fedus quibus vellet conditionibus obtulerunt. Lepus suo se modulo primò metiens, deinde eorum quibuscum res sibi futura esset, ingenium, naturam & vires considerans, amicitiam quidem amplexus est, fedus autem recusauit, dicens: *Illis semper quod vorent opus fore, sibi vero pastum numquam deesse.*

Fatuis Respublica non committenda.

QVum præsente Petro Medice qui Legatus Roma reuertens, à Perusinis honorifice fuerat exceptus, Senatorum quidam multa inepte atque etiam stulte dixisset; alius ex eodem ordine ad Petrum ait; Ignosce Domine; licet non dubitem tales homines etiam apud vos esse. *Sunt*, inquit Petrus, *at eis ad Reipublicæ administrationem non vtimur.*

Quatuor mala ex quatuor bonis.

QVatuor bonæ matres, quatuor pessimas filias parere solent: *Veritas Odiū, Prosperitas Superbiam, Securitas Periculum, Familiaritas Contemtum*. Hanc sententiā è fatuo in Gallia audiuisse se testatur Marcellus Virgilius, quæ profectò vel ipso Thalete aut Solomone digna est.

Idem facete *senes, aures in sinu, pedes in manibus, & dentes in cingulo portare dixit.*

Aliud regem, aliud priuatum decet.

ALphonsus Aragoniæ Rex à Consiliario quodam reprehensus, quod cōtra omnium fere Senatorum sententiam bellum suscipere decreuisset, Oportebat, inquit, Consiliarios Regis aut ipsos Reges esse, aut certe animum Regis habere: siquidem multa Consiliarijs & hominibus priuatis cōueniunt, quæ Regi non conueniunt. Et Parmenoni licet, quod Alexandro non licet. Illud sane certum est, *talem plerumque esse Principem, quales illi quos circum se habet.*

Nata.

Natalium obscuritas nemini probro est.

QVum præsente Alphonso Rege de Nicolao Picennino sermo incidisset, & in illo alius rei militaris peritiam, alius qua apud milites valeret auctoritatem, alius fortia facinora, alius denique aliud laudaret; quidam imaginariæ nobilitatis opinione inflatus, hæc omnia, inquit, fortasse aliquid essent, si lanionis (ita enim perhibebatur) non esset filius. Tum Alphonsus *Equidem malim*, inquit, *Nicolaus Picinninus esse quam Regum quorundam filius.* De Picennino quidē sic Æneas Sylvius: *Picinninum lanionis filium, quasi regem nostra ætas venerata est.* Hanc in sententiam Poeta:

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcania que arma capessas;
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.

Impudens petacitas elusa.

AD Alphonsum aulicus quidam venit, in somnis visum sibi narrans, sacculū aureis plenum à Rege sibi donatum. Cui Rex; *An nescis tu, somnijs Christianos nihil tribuere?*

Eadem

Eadem arte Papa quidam Ceruiæ Episcopum elusit. Quum enim is diceret, famam spargi, Sibi à Pontifice vrbis præfecturam demandatam, *Scis*, inquit Pontifex, *famam tam ficti quam veri esse nunciam. Falsam quidem esse tu reipsa experieris.*

Quod firmissimum imperij columen.

LVdouicus Sfortia Dux Mediolanensis, Ludouico XII Franciæ Rege expeditionem contra ipsum adornante, Saccum Cancellarium suum interrogauit, si forte contingeret vt à Rege obsideretur, quanam in re potissimum post Deum fiduciam collocare deberet? *Subditorum*, inquit Saccus, *amor & beneuolentia tutissimum est in omni aduersitate Principum perfugium.*

Similiter Alphonsus Rex monitus, ne ita solus, siue vllo satellitio, prodiret, ac populo se crederet: *Nequaquam*, ait, *solus ego ambulo, sed mea me comitatur integritas & æquitas.* Dissimilis hic valde fuit multis Principibus, qui metui quàm amari pulcrius ac suæ magnitudini magis decorum existimant. Sed illud hoc Ciceronis cogitent: *Malus custos & magister diuturnitatis est metus.* Idem ex En-

nio: *Quem metuunt, oderunt; quem quisque odit, perisse expetit.* Idem alibi: *Qui se metui volunt, à quibus metuuntur, eosdem metuant ipsi necesse est: nullaque adeo vis imperij tanta est, quæ, premente metu, possit esse diuturna.*

Id autem verum esse, supradictus Sforcia suo probauit exemplo. Hausta enim ex illis Cancellarij verbis, affectati ab ipso imperij suspicione, vt quem subditis ob æquitatem, charissimum esse non ignoraret, eundem capitis supplicio affici iussit: quod quidem ille magna constantia subijt, & exprobrata Duci crudelitate, his verbis extremũ ei Vale dixit, vel futurum potius prædixit: *A me il cappo, à te il stato*, id est, Mihi quidem iam caput adimitur, at tu mox vniuersa ditione & imperio exueris. Quod & postea factum est, Mediolano à Franciæ Rege expugnato, & Sforcia Duce in miseram captiuitatem abducto.

Marte, non fraude.

IDem sæpedictus, sed numquam satis laudatus Rex, quibusdam Francisci Sforciæ, qui cum bellum gerebat, clandestinis artibus tollendi consilia ineuntibus, *Numquam, ait, placuit mihi victoria quam ignominia & pœnitudo sequatur.* Quod si ab eiusmodi consilijs non desistatis, equidem faxo vt quantopere mihi

mihi ea displiceant, ipso facto sentie.is.

Idem Rogerio Pallantiæ Comiti ad Ioannis Castiliæ Regis, cædem sese offerenti, Mihi, inquit, licet non dicam Castiliæ, sed vniuersi orbis imperium hoc modo acquirere possim, nemo tamen persuaserit, vt in tam turpe ac detestabile facinus consentiam.

Singulare filij erga patrem modestiæ exemplum.

FErdinandus Alphonsi vere Magni pater, mortis horam non procul abesse animaduertens, Alphonsum filium ita alloquutus esse dicitur: Non ignoro, mi fili, omnia regna mea, quibus quamdiu Deo visum est, præfui, tibi tamquam primogenito deberi. velim tamen vt te non abnuente, fratri tuo Ioanni Castiliæ regnum tradere mihi liceat. Hoc vt à te me impetrare sinas, peto ac si pateris, rogo etiam atque oro. Ad hæc Alphonsus: Scio, mi pater & domine, omnia hæc regna, immo omnia fere quæcumque habes, mea esse, ita tamen vt ea omnia fauori tuo & bonæ voluntati accepta referenda intelligam: eoque semper, atque etiamnũ paternum tuum animũ ac voluntatẽ ei quod ratione primogenituræ mihi competit iuri prætuli. Quod si ergo pro singulari tua sapiẽ-

tia

tia existimas, regna hæc à fratre m eo cõmodius ac melius quã à me gubernari posse, non abnuo quin omniũ eũ hæredẽ ac Dominum instituas: ego tã in hac quã in aliis rebus omnibus voluntati tuæ non secus quam ipsius Dei mandato morem geram. His auditis, senex obortis lachrymis, filium amplexus, tanto quietius postea è vita discessit.

Rara auis.

QVum Alponsus immatura adhuc ætate regnum iniisset, Senatores ac proceres eũ adierunt, significantes, vtile atque adeo necessariũ sibi videri vt septẽ viri qui Deũ metuerent, Iustitiã amarent, cupiditates suas frænarent, nec vllis donis aut muneribus corrumpi se sinerent, ipsi adiungerentur, quorum consiliis in administrando Regno vteretur. Consilium hoc probauit Alphonsus, & ad proceres conuersus, Si, inquit, non septem sed vnius eiusmodi viri mihi copiam feceritis, equidem non tantum regni administrationẽ ei vltro tradam, sed regno quoque cedam.

Animi nostri origo.

IDẽ Daualo è proceribus vni, quærẽti, qui fieret ꝙ animus hominis nũquã quiescere pos-

possset, sed semper ab vno ad aliud tenderet? Anima inquit, nostra originem suam à Deo habet, nec prius quiescere potest quam eo vnde orta est, redierit: nec vero caducis his & fluxis rebus vmquam satiari potest, sed Deũ ac cœlum, tamquam proprium sibi & naturalem locum, petit & desiderat. Quid magis Christianum dici posset? Nec mirum hoc in tali Rege, qui quaterdecies sacra Biblia, cum Commentarijs, sibi perlecta vere gloriatus est.

Magnanimum responsum sæpe magis prodest quam obest.

ADolphus Comes Nassouius, qui Anno MCCXCII. ad Imperatoriæ dignitatis fastigium euectus est, cum Brabantiæ Duce bellum gerens, quinque eo bello interfectis præcipuis Brabantiæ magnatibus, tandem captus, & ad Ducem adductus fuit. Eum Dux, toruum intuens, rogabat, *Quis tu es?* Adolphus, sum, inquit, Comes Nassouius. *Sed quis tu es:* Tum Dux: Brabantiæ Dux sum, quem tu bello iamdiu vexasti. *Miror ergo*, ait Adolphus, *te gladium meum effugisse, quem sine contra te acueram.* Hoc magnanimo captiui etiam responso motus Dux, Adolphum non

non liberum modo dimisit, sed rogatū quoque vt amicus sibi posthac esse vellet, multis donis & muneribus ornauit.

Imperatoris huius symbolum fuit: *Præstat vir sine pecunia, quam pecunia sine viro. Animus est qui diuitem facit.* Quod quidem ex illo Themistoclis desumtum videtur, qui vtrum diuiti & fatuo, an pauperi & prudenti filiam elocare mallet, rogatus; *Malo,* inquit, *virum pecunia, quam pecuniam viro indigentem.*

Recte Horatius.

Quod satis est cui contingit, nihil amplius optet.

Et in Odis idem:

--Bene est cui Deus obtulit
Parca quod satis est manu.

Nec minus sapienter Seneca: *Quemadmodū nihil refert, vtrum ægrum in lecto ligneo an in aureo colloces, quocumque illum transtuleris morbum suum secum aufert: ita nihil refert, vtrū æger animus in diuitijs sit vel paupertate. malum suum semper illum sequitur.*

Et Mimus:

Cui conuenit cum paupertate, diues est.
Nec qui parum habet, sed qui plura cupit pauper est.
Quod vult habet, qui velle quod satis est potest.

Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.

Magnatum vita.

HEnricus Glareanus vir doctissimus, sed parum opulentus, rogatus ab amico, quomodo viueret ac valeret? Ego, inquit, Principum ac magnatum vitam viuo. Altero quærente, qualisnam ea esset? *Edo*, inquit, *bibo, & genio indulgeo, interim in omnium æresum & maneo.*

Pulcrum caput: sed cerebrum non habet.

ANgelus Stuffa Florentinorum ad Sigismundum Malatestam Ariminensium tum Principem legatus, pileo siue petaso, ex more illius temporis, grandi & spacioso vtebatur. Mirus hic habitus Ariminensibus visus est, vt qui etiam media hyeme caput leuiter integere, collum nihilominus fascijs inuolutum habere solent. Ex ijs ergo vnus Marcoualdus nomine, per irrisionem ad Angelum infit: Crediderim sane vobis frigida valde esse capita. Cui Angelus: Dicam tibi quamobrem nos capita tam di-

ligenter

ligenter custodiamus. Vos, credo, de anserum aut anatum estis genere, vt qui etiam mediis pluuijs capita versus cœlum surrigunt, nec nebulam aut vllam tempestatem curant; quum scilicet vix micam habeant cerebri. At nos quibus cerebrum est, illud quoque sedulo ne quid ei noceat, curare debemus.

Errata aliorum aperta, aliorum occulta.

QVum Medicus quidam nescio quod in pictura erratum reprehendisset, pictor astans, ægerrime id ferens, non in Medicum tantum, verum etiam ipsam Medicinam multa conuicia effudit, inter alia illud quoque obijciens, solis Medicis homines impune licere occidere, nec vllum esse medicum, qui priusquam artem recte condiscat, vnum cœmiterium mortuis non impleat. Ad hæc Medicus, Bona verba, inquit, quæso. In hoc sane vestra ars præstat, quod tam excellentiam quam errorem operis dies ostendit. At in eo fortuna nobis magis est propitia, quod cura nostra sanatos, viuos omnium oculis exponit: sed errores nostros ab oculis ablatos, sub terram abscondit.

Mulier

Mulier inani spe ditescendi inflata.

MErcatum ad vrbis proximæ profe-
ctura
Rustica, ferebat, Pascha circiter, plenum
Ouis quasillum: læta iamque tum lucro,
Factura certo quod sibi videbatur,
Sed nondum habebat, cogitatione, vt fit,
Inter vias fingebat aureos montes
Sibi, ratiocinata in hunc modum: Dextra
Plena ære multo mihi domum reuertetur.
Bene collocetur, ouis ematur, hæc anno
Vertente tantum, spero, mi dabit quæstum,
Vt comparari fœta eo queat vacca:
Fœcunda pariet hæc breui gregem armenti
Numerosum: & auro me beabit ex lacte,
Caseoque, butyroque, quod forum plena
Manu refundet. Nobile inde equorum par
Hoc ære commercabor. At solum, tanto
Studio exaratum, fructuum feret magnam
Vim. Prata, siluas, vineas dein nummo
Præsente coemam. Læta denique in tanto
Prouentu & opibus delicatam agam vitam:
Conuiuia apparabo: non ibi cantor,
Psaltesve deerit. Cum marito ego restim
Saltabo ductans: iò, Euoe, Euoe, o Bacche.

Hæc

Hæc mente voluens, corbis & sui oblita,
In gyrum agebat corpus, & pede alterno
Terram feribat. corbis it: cadunt oua,
Et, fracta ad vnum, decolorem humum pingunt.
Stupet illa, inopsque consili omnis: Ergo, inquit,
Graue ingemiscens, somnium puto vidi
Vigilans, eadem diues atque inops hora,

Humana astutia diabolicam sæpe superat.

ANdreas Lucardus cuidam obijcienti quod hypocrisim ab ipso didicisset, talem fabulam narrauit. Fuit monachus quidam, qui ieiunij impatiens, quum nihil aliud suppeteret, in cella sua ouum candelæ admotum, tamdiu versauit, donec percoctum esset. Id quum Abbas per rimam introspiciens vidisset, cellam ingressus, monachum acerrime increpuit: qui excusans se aiebat, dæmonis subtilitate hanc tam malignam peccandi rationem sibi commonstratã. Ibi dæmon, qui sub mensa latitarat, proripiens sese, Mentiris, ait, pessime: hãc enim nequitiam non tu à me, sed ego à te didici.

Hospites quomodo eijciendi.

IN monasterium quoddam duo monachi, negocij quod apud eius loci Episcopum habebant, caussa diuerterant Quum vero diutius ibi moram traherent, cœnobij præfe-ctus Episcopum adit, vt illi expedirentur ro-gans, quod fere quotidiani eiusmodi hospi-tes monasterij iam ante exiguis facultatibus nimis graues essent. Dicente Episcopo iādu-dum illos à se expeditos, nec diu forsan hæ-suros, præfectus discessum illorū in dies ex-spectabat. quū vero animaduerteret, profe-ctionē ipsis cordi non esse; Platonē Episcopi familiarē adit, & consiliū ab eo exquirit. Pla-to re intellecta, ad præfectū ait: Scis domine, immundorū spirituū duo esse genera, quorū vnū in nomine Domini, alterū non nisi in o-ratione & ieiunio eijciatur. Quandoquidem ergo hi, vt videtur, ex primo genere nō sunt, crediderim sane ex altero esse genere, ac ꝓp-terea ijs remedijs cōtra eos vtēdū quæ ibi præ-scripta sunt. Præfect⁹ rē intelligēs, prædictis monachis eo vespere cœnā nō præbuit: sicque effecit vt illi sūmo mane in viā sese dederint.

Ablatum raro redditur.

SAthanas dæmoniolū quoddā castigauit, quod tamdiu quendam quem ad furtum faciun-

faciundum induxerat, obseruasset, ne ablatū ille redderet, aiens: Satis fuisse quod furtum ipsi persuaserit. neque enim eum qui alteri quid abstulerit, facile, ac non nisi coactum id redditurum.

Caussa amissi imperij.

MAtthæus Vicecomes Mediolanensis, à Guidone Turrio vrbe ac toto imperio eiectus, Nogarolę in ditione Veronensi aliquamdiu satis misere, vtpote ab omnibus desertus, vitā sustentauit. Ad eū aliquando Guido legatos misit, qui tria hæc explorarent, præsentem vitæ conditionem, spem reditus, tum tempus. Legati quum eo venissent, Matthæum placide ad Athesis ripā inambulantem offenderunt. & mandatis expositis, responsum ab eo petierunt. Ad hæc Matthæus: Quid rerū iam agam, ac vitæ meæ conditionem coram videtis. Imperij recuperandi spem nondum me abiecisse, Guidoni dicite. Ad tempus quod attinet, id tum futurum, quando Turrij atque ei adhærentiū peccata meis sunt præponderatura.

Par pari.

GAleatius Sfortia Dux Mediolanensi ad Bartholomæum Colionū celebes

rimum Veneti exercitus ducem, vulpem cauea inclusum miserat, innuens scilicet veteranum quidem & astutum esse militem, interdum tamen, vt est in prouerbio, etiam vulpem capi. Tum Colionus statim auim quandam (quod genus auium pro falconibus pueri Principum gestare solent) nolis argenteis & catenulis mire ornatum remisit: indicare volens, Galeatium iuuenem temerarium, nec tanto imperio parem esse, immo vix quidquam Principis præter speciem habere.

Nemo sine crimine.

CArolus V. Imperator multis proceribus Hispanis comitatus, tabernā quādam prætereequitans, ante quam multi Germani milites, stantes, sedentes, hilariter bibebant; commonstratis aliquot, cuidam ex comitibus ait: Annon Germani hi, vt & pleriqque alij, singulari corporis atque animi robore præstare tibi videntur? Hoc nemo negare potest, ait Hispanus: vnum tamen mihi vehementer displicet, quod tam immodice vino sese ingurgitant. Et hoc verum est, inquit Imperator: sed an tu nescis quibus vitijs Hispani laborent? Vt enim illi vini; ita hi alieni sunt auidi.

Aliud

Aliud (si non idem) de hoc eodem Imperatore narratur, Quum enim nescio quo bello quidam eum accessissent, monentes vt Germanis interdiceret ne sese inebriarent; Imperator, Hoc idem, inquit, erit ac si Hispanis interdicere velim ne furentur.

Iocus militaris.

IN Regis Alphonsi exercitu quidam Rostrus nomine militans, rubrum pileum in modum gallinaceæ cristæ efformatū gestabat. Huic excubias agenti aliquando Rex, illudere volens, aiebat: Quando tu galle tandem hoc mane cantabis? Tum Rostrus, Male, inquit, mane cantat, qui vesperi cœnatus non est. Cuius dicti festiuitate delectatus Rex, bono Rostro vestem dedit nouam & versicolorem, vt non nomine tantum sed habitu quoque gallum repræsentaret.

Ministri heris ditiores.

PRincipe quodam de rei numariæ defectu querente, astantium quidam ait: Equidem consilium V. Cels. dederim, vt Cancellariatum, Quæsturam, aut aliud eiusmodi officium aliquamdiu vsurpet. neque enim dubito quin V. Cels. intra breue tem-

pes magnas inde adeptura sit diuitias.

Terra omnium mater.

AD Gotofredum Bullionum, expugnatis Hierosolymis, & tota fere Palæstina subacta, vicini Reguli certatim dona adferentes, quum ipsum simplici veste indutum, sine vllis Regiæ dignitatis insignibus, in terra sedentem vidissent, vehementer admirati sunt, existimantes nequaquam tanti imperatoris dignitati conuenire, ita fere nudum, humi sedentem, ab omnibus conspici. Id quum interpres Regi indicasset, subridens Gotofredus vicissim eis indicare iussit, Nemini turpe esse, terræ insidere, vt è qua vniuersum hominum genus prodierit, & eodem sit reuersurum.

Raro meliora succedunt.

MOrtuo quodam excellentis doctrinæ & virtutis Cardinali, quum N eam dignitatem homini hisce rebus parum instructo datam vidisset, Noster, inquit, Pontifex iam facit quod rustici facere solent, qui fracto aut amisso cultro, in vaginā interim, ne corrumpatur, lignum pro ferro condunt.

Summa

Summa quisque petit.

IVlio III. qui Cardinalis de Monte antea dicebatur, sutor Pontificias crepidas induens, quum eas nimis angustas pro pedis modulo esse dixisset, ac propterea eas resarcire & ad Pontificis pedem aptare vellet: Tu vero, inquit Pōtifex, strenue calceos hos meis pedibus indue, quibus mihi cōmodiores nullus vmquam sutor confecit.

Facetum.

QVum Romæ inter quosdam nobiles & doctos de Francisco Petrarcha eiusque operibus sermo haberetur, & quidam dicerent, multa eum ex antiquis nescio quibus versificatoribus desumsisse; alij vero è suo vnius ingenio ea quæ hodieque cum admiratione leguntur, expromsisse contenderent: Humor quidam Bononiensis (de cuius iocis integer liber scribi possit) qui sermoni huic interuenerat, & posito pallio, mensæ assederat, sententiam rogatus, Ego, inquit, existimo Petrarcham antiquos illos Poetas ita tractasse, quemadmodum Hispani pallia per noctem surrepta, quæ nouis ornamentis alijsque modis ita reconcinnant, vt ne agnosci possint. Forte ibi aderat Hispanus nobilis, qui audito hoc gentis suæ elogio,

conuerso ad Humorem vultu, Quid tu, inquit, de Hispanis loqueris? Tum Humor quasi mirabundus, Ergo tu, inquit, Hispanus es? ac statim, puerum pallium sibi deferre iussit, eoque humeris iniecto sessum se recepit. En Satyricum dictum & factum simul.

Leuitas feminarum propria.

MVltis virginem quandam nobilem ob eximias tam animi quam corporis dotes collaudantibus, vnus siue inuidiæ siue contradicendi studio, vanam eam & leuem esse dixit. Ibi matrona quædã honestissima, Ergo tu, inquit, hoc vitiũ quoque à muliebri sexu auferre, & tibi tuique similibus adscribere cupis? Quid ergo eis relinquis?

Mordax in Principem.

SYluester Bottigella magnati cuidã, quænam dotes Principi necessariæ essent quærenti, Omnes illæ, inquit, quæ tibi desunt. Hodie per iugulum talia verba reditura sint.

Hominibus non facile fidendum.

BEllo quod Iulij III. Pontifice in Italia gestum fuit, Rudolphus Ballionus & Ascanius

Ascanius Cornia, Pontifici mili antes, à monacho quodam, qui quasi pro sancto habebatu, persuasi, copias ad Cutilianum montanā Pistoriensis ditionis arcem, eius opera clam occupandam adduxerant: quibus in insidias antea præparatas præcipitantibus & male mulctatis, Pōtifex, accepto cladis nuncio, indignabundus exclamasse dicitur: ô stulti homines qui Deo ipsi non credunt, Sanctulo credere non dubitarunt.

Sera admonitio.

ALphonsum Pazzium nobilem Florentinum cum alijs multo deposito precio ludentem, quidam his verbis admonuit: Caue Alphonse, ne reliquum perdas. Tum ille, qui fenum in cornu gerebat; Equidem cauebo quantum potero, verum te eadem de re admonendi, scio iamdudum tempus præteriisse. Cuius dicti acrimoniam bene intellexit is, qui præter signatam pecuniam, etiam multa beneficia à Cardinali cognato ipsi relicta, iam amoribus & vanitatibus impenderat.

Idem Alphonsus cum quodam in iudicio contendens, quum aduersarius inter alia ei tamquam malesani capitis argumentum, obiecisset, quod à patre duodecim ipsi tuto-

res siue curatores dati essent, Nil mirum hoc, inquit, quin credo patrem meum, si sciuisset tecum mihi rem aut litem fore, non duodecim sed vigintiquatuor mihi daturum fuisse.

Præpostera vel impia potius eleemosyna.

THomas Guadagnius mercator Florētinus, vsitatis etiam hodie artibus tantum lucrifecit, vt Francisco I. Franciæ Regi quinquies centum scutatorum millia mutuo dederit. Hic post mortem aliquā sui memoriam & monumentum relinquere cupiens, Lugduni Nosocomeum exstruere instituit. Præparato iam ad fundamenta solo quemcumque amicum aut notum nactus, eò ducebat, consilium operis quam poterat optima forma & modo exædificandi, exquirēs. Quum vero inter alios aliquando Nicolaum Salterellium Florentinum itidem, hominem facetum & architectonicæ artis non imperitum eò duxisset, eique omnia ædificij lineamenta & partes commonstrasset, rogans vt si quid immutandum aut commodius faciundum animaduerteret, indicare id ne grauaretur: Salterellius, Cetera, inquit, mihi satis placent, vnum tamen desidero, quod scili-

cet nimis paruum & anguſtum mihi videatur. Cur hoc dicis? inquit Guadagnius. non tu vides quantum hoc vniuerſum ſit ſpacium? Eſt magnum ſane, inquit Salterellius: ſi tamē omnes huc veniant quos tu ad paupertatem redegiſti, nimis, ſcio, anguſtum erit, immo vix dimidiam eorum partem capiet.

Par pari commiſſus.

IVuenem quendam ab amico ad prandiū inuitatum, nobilis virgo, quod eum hodiernæ ciuilitatis parum expertum videret, ex oppoſito ſedens pudore afficere volebat. Cernens ergo cibum ante iuuenem poſitum hinc inde truncatum; Sane, ait, domine, fortis es. Tum ille qui ipſam non minus ſtrenue, ſed forte ciuilius aliquanto mā-ducantem viderat, Mihi quidem, inquit, forti eſſe neceſſe eſt, vt qui nō minus robuſtum habeam antagoniſtam.

Cui Patientia.

HOmo quidam facetus, amicum qui debiti caussa ad monasterium siue locum quendam sacrum confugerat, invisens, quum curarum ipsum & cogitationum plenum vidisset, quamuis rem omnem sciret, interrogauit tamen, Quid ita tristis esset? Cui is: Equidem quamdiu vixero, vix, credo, tristitia à me abscesserit. Scis enim, opinor, quam multa scutatorum millia non vlla mea culpa, sed fortunæ malignitate breui tempore amiserim. Etiam creditores mei, fortunarum mearum reliquijs non contenti, etiam carcerem & vincula mihi minantur, nec vllo alio modo pacisci mecum volunt. Ac profecto tamdudum spe omni abiecta, mortem mihi ipse consciuissem, nisi è lectione libri cuiusdam, *De patientia* inscripti, rursum spiritus aliquid & animi hausissem: quem quidem diuinitus mihi obiectum credo, vt à tanto facinore desisterem, & ad meliorē mentem redirem. Ibi Paullus, Ergo iam, inquit, creditoribus vestris omnibus satisfactum est? Non, ait ille. Tum hic rursus: Ergo illos potius librum hunc *De patientia* legere oportebat, qui velint nolint, eo quod ipsis debes carere coguntur.

Filij

Filij degeneres.

DOctum quendã, nobilem & magnæ auctoritatis hominem Princeps rogarat, an filios, & quot haberet? Ille cogitabundus aliquamdiu sedens, nihil respondit. Princeps ergo verba ab illo minus intellecta existimans, idem rursus rogat. Ibi ille, Nullos, inquit, habere me pæne dixeram, etsi tres habeo; quorum primus valde sapiens sibi videtur, quum plane fungus sit & fatuus; alter ob formam mirifice sibi placet, quum tamen Thersite sit deformior; tertius fortis haberi vult, qui ipsam ignauiorem possit facere ignauiam. Tales ergo quum sint, orbum me recte puto.

Feminarum mores.

HOspes quidam apud N. ciuem diuerterat. Quum vero mulieris continuis clamoribus & rixis domum implentis offensus importunitate, de mutando hospitio cogitaret, eoque veniam ab illo petijsset: Quid tu hominis es? inquit bonus ille paterfamilias, qui vix biduum aut triduum vxoris meæ mores ferre potes, quos iam ego per viginti & amplius annos, patienter fero.

In timidum.

QVidam hominem timidum obuium habens, vndenam veniret, rogabat. Quum ille in macello se fuisse dixisset, alter, Quæso, inquit, an tu eum locum adire ausus es, vbi tot boues & oues occisæ sunt & quotidie occiduntur?

Ad proditionem qui apti.

DE prodenda quadam arce miles multis sceleribus infamis cum Alexandro Rangonio & alijs proceribus egerat. Id intelligens N. vir prudens, dicto Comiti à secretis, sedulo monuit ne homini fidem haberent, vt qui pessimus esset & sceleratissimus. Tum Rangonius, Tanto melior, inquit: si enim alijs esset moribus, hāc ad rem parum esset idoneus.

Facetum de nanis.

NIcolaus Cōstantius roganti cuidam, qui fieret quod plerumque homines pumili essent animosi? Eò, inquit, quia exiguo corpusculo defendendo sufficere se putant.

In

In voraces.

QVidam inter duos homines voracissimos sedens, ab amico forte superueniente rogatus, quomodo se haberet? Male, inquit: quippe inter Scyllam & Charybdim versor.

Quæ litteræ hodie pluris fiant.

QVum Romæ inter Cardinalis cuiusdam domesticos quidam dixisset, hominem valde litteratum in vrbem venisse, alius quæsijt, quasnam ille literas haberet aut afferret? Respondente altero, Hebraicas, Græcas, Latinas, &c. Ille, Argentarias siue collybisticas malim, inquit.

In viles.

DOctor quidam togam holosericam pellibus suffultam fieri sibi curarat: sed quum in eiusmodi vestem qua raro vteretur, tantos sumtus facere nollet, lacinias quidem preciosioribus, nempe zebelnis prætexi, interiora vero ouillis subduci iussit. Ei obuio homo quidam, qui quosvis adunco naso suspendere consueuerat, illudere volens, Bona, inquit, fortuna te in

tam

tam pulcra veste comitetur. Sed quæso dic mihi, an interiora exterioribus his respondeant. Non hoc ausim dicere, inquit Doctor; prætextas quales sint vides, at reliquæ pelles sunt ex eodem genere quo tua.

In cunctatores, & voluptuarios.

HVgutio Fagiola accepto Lucæ, vbi tum erat, inter prandendum nuncio, Pisanos seditionem mouere, Prius, inquit, prandeamus: postea satis tempori Pisas ad castigandos rebelles veniemus. Finito ergo prandio, celeriter Pisas contendit: sed à ciuibus exclusus Lucam propere rediјt, vbi etiam portas occlusas offendit. Sic ergo vndique exclusus, Veronam ad Canem Scaligerum se recepit, eiusque liberalitate vitam sustentauit. Quum vero aliquando in mensa sermo de hominibus voracitate insignibus incidisset, & Hugutio sibi adolescenti binos capones, quatuor turdos, armum ouillum, & pectus vitulinum in vnam cœnam vix satis fuisse diceret, Petrus Nauus homo valde argutus, atque etiam mordax, Parum hoc, inquit, mihi videtur, præ illo quod tu vno prandio duas opulentissimas ciuitates

(Pisas & Lucam intelligebat, quarum fuerat dominus) absumsisti.

SEQVVNTVR SENTENtiæ quædam, symbola & id genus miscellanea.

QVi ab amico perfido consilium accipit, similis est ei qui ex poculo aureo venenum bibit.

De diuina misericordia amplius sperandum est quum humana præsidia deficiunt.

Vxor Philonis. Vir sapiens & probus pulcerrimum est vxoris ornamentum.

Cui simile est illud vxoris Phocionis : Meus mundus sunt præclara gesta mariti. *At Cornelia Gracchorum mater, liberos bene educatos ostendens,*

Hæc, *ait*, ornamenta mea sunt.

Idem Philo. Vt vasa noua præstantiora sunt veteribus; non sic amicitia, quæ quo vetustior, eo melior.

Amicum ne temere adsciueris; adscitum ne facile reieceris.

Ante virtutem artes liberales sitæ sunt.

Qui accumulat opes, accumulat curas.

Mal

Mali nihil habent in cœlo; boni nihil habent in mundo. *Beda.*

Cui terra est nouerca, ei cœlum patria est.

Sanguis martyrum est semen Ecclesiæ.

Si laudas aliquem quod generosus est; parentes eius laudas; si vero quia diues, fortunæ hoc debetur. Sed si eũ laudas quia bonis moribus & artibus doctus sit, tunc ipsum virum laudas: quia nec à patre hæreditarium, nec ætate mutabile, nec à corpore caducum. *Apuleius.*

Nunquam parum est quod satis est, & nũquam multum quod satis non est. *Seneca.*

Etiam capillus suam habet vmbram.

Ignorantia Iudicis sæpe fit calamitas innocentis.

Principibus in priuatis offensis debet satis esse, potuisse vlcisci.

Tolerabilior est Reipubl. status, vbi Princeps malus & boni Consiliarij sunt, quam vbi bonus Princeps & mali Consiliarij: siquidem vnus malus à pluribus corrigi potest, quod ex aduerso difficulter fit. *Lamprid.*

Si quis quæ fecit patitur, iustissima pœna est.

Frustra se terrore succinxerit, qui septus charitate non fuerit.

Finis iræ, plerumque est initium pœnitentiæ.

Homines nihil agendo, male agere discunt.

Omnibus hominibus necessaria est clementia; maxime autem decora Imperatoribus.

Quo quisque est infelicior, eo magis suspiciosus; quo magis suspiciosus, eo magis timidus; quo magis timidus, eo magis crudelis

Perpaucis contingit felices esse & sapere.

Iratus ad pœnam Deus si quos trahit,
Auferre mentem talibus primum solet.

Fortior est Deus ad propugnandum, quam hostis ad oppugnandum.

Deliberare vtilia, mora tutissima est.

Monstrũ est homo in vita felix per omnia.

Ne fidei quidem ipsi in bello fidem habere expedit.

Fortuna vitrea est, quæ quum maxime splendet, frangitur.

Auxilia humilia firma consensus facit.

Funiculus triplex haud facile rumpitur.

Omnium mores, sed tuos inprimus obseruato.

Vtres quidem inanes distendit spiritus, at stultos opino.

Secretum si tribus est manifestatum, omnibus est divulgatum.

Est tem-

Eſt tempus quando nihil; eſt tempus quādo aliquid; nullum autem tempus eſt quando omnia dicas.

Quod male cœptum eſt, ne pudeat mutaſſe.

Virtutem præſentem odimus, ſublatā ex oculis quærimus inuidi.

Qui parcit malis, nocet bonis.

Fulmen eſt vbi cum poteſtate habitat iracundia.

Propter iniuſtitiam transferuntur regna de gente ad gentem.

Dies ille quem tamquam extremum homines formidant, æterni natalis eſt.

Amat victoria curam.

Neceſſitate dura nil fortius.

Æra vacua plurimum tinniunt.

Semper aliquid agito, ne Sathan te ocioſum inueniat.

Nullum bellum in bene conſtituta Republica ſuſcipitur, niſi pro fide vel ſubditorum ſalute.

Si deſint Thraſones, in vanum Gnathones clamitant.

Non eſt conſilium in vulgo, non ratio, nō diſcrimen, non diligentia.

Ne populo fidas: populus mutatur in horas.

Fortior est qui se quam qui fortissima vincit
Mœnia; nec virtus altius ire potest.

Omnia prius experiri quam armis sapientem decet.

Nemo iustus cito ditescit.

Ars quædam artium, & scientia scientiarum mihi esse videtur, hominem regere, animal omnium maxime varium & multiplex.

Qui primo apud Regem stat loco, lubrico stat loco.

Esto paruus in oculis tuis, vt sis magnus in oculis Dei.

Curæ ad preces impellunt, & preces curas depellunt.

Vita optanda est, vt aliquid efficiamus quod vita dignum sit.

Christiano totus hic mundus vna domus est.

Humilitas homines sanctis Angelis similes facit; Superbia ex Angelis dæmones facit.

Maximum eorum quæ scimus, est minimum eorum quæ nescimus.

Felix insolens, infelix.

Crescente superbia, decrescit fortuna.

Virtus vna cum domino emergit atque enatat, ac ne in morte quidem ipsa possessorem suum deserit.

Faci-

Faciles imitandis turpibus & prauis omnes sumus

Non potest male mori qui bene vixerit.

Nullus est fidus eorum affectus, quorum diuersa est fides.

Vera hominis scientia est, imperfectum se nosse.

Magna ira est quando peccantibus non irascitur Deus.

Simulata sanctitas, duplex est iniquitas.

Magis vitam tuam ordinare disce quam alienam carpere.

Remota iustitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia?

Summa cadunt subito. *Arcad. Imp. Symbolum.*

Virtute ambire oportet, non fauitoribus.

Sat habet fauitorum semper, qui recte facit.

Vbi summus imperator non adest ad exercitum, Citius fit quod nō facto est vsus quā quod facto est opus.

Ita cuique est in ætate hominum, Ita dîs placitum, voluptati vt mœror comes consequatur.

Virtus omnia in se habet, omnia adsunt homini quem penes est virtus.

Bacchæ bacchanti si velis aduersarier, Ex

insana

insana insaniorem facias, feriet sepius: Si obsequare, vna resoluas plaga.

Necesse est facere sumtum, qui quærit lucrum.

Fortiter malum qui patitur, idem post potitur bonum.

Lupus est homo homini, non homo, quũ qualis sit non nouit.

Festo die si quid prodegeris, Profesto egere liceat, nisi peperceris.

Pro re nitorem, & gloriam pro copia Qui habent, meminerint se se vnde oriundi sint.

Tum denique homines nostra intelligimus bona, Quũ quæ in potestate habuimus, ea amisimus.

In re mala animo si bono vtare, adiuuat.

Qui cauet ne decipiatur, vix cauet quum etiam cauet. Etiam quum cauisse ratus, sæpe is cautor captus est.

Est vbi damnum præstet facere quam lucrum.

Aurum multa multis suasit perperam.

Quod bonis benefit beneficium, gratia ea grauida est bonis.

Est miserorum, vt maleuolẽtes sint atque inuideant bonis.

Flamma fumo est proxima.

Ingrato homine nihil impensius est.

Oris atque cordis harmonia pulcerrima.

Mendacium illiberale, veritas generosa est.

Fidei abrogatione omnis humana societas tollitur.

Frustra niti, & sese fatigando nihil nisi odium quærere, extremæ dementiæ est.

Multorum manus, paucorum consilium.

Tardus ad vindictam, ad beneficentium velox.

Cum omnibus pacem, aduersus vitia bellum.

Nihil impense ames; ita fiet vt in nullo contristeris.

Multi multa sciunt; se autem nemo.

Mortem optare malum; timere, peius.

Pauca cum alijs, multa tecum loquere.

Præstat vni probo, quam mille improbis placere.

Qui tacendi non habet artem, nec loquendi habet opportunitatem.

Satius est recurrere quam male recurrere.

Quod prudentis opus? non velle & posse nocere.

Quod stulti proprium? non posse & velle nocere.

Optimum est aliena insania frui.

Magna pars vitæ labitur, male agendo; maior,

maior, nihil agendo; maxima, aliud agendo.

AD LIBRVM QVARTVM EPIDORPIDVM

Appendix.

QVandoquidem & adolescentum vtilitati, & seniorum oblectationi potissimum duos præcedentes libellos scripsimus; & tertium iam addere nec libeat nec vacet: vt tamen & huic libello suus constet modulus, sequentia Laconum aliquot Apophthegmata subiungere visum est.

Samiorum legatis prolixiore vtentibus oratione dixerunt Spartani: Prima sumus obliti, postrema non intelleximus, quia prima non meminimus.

Ad Thebanos item qui de quibusdam pertinacius contradicebant: Oportebat, inquiunt, aut minus habere spiritũ, aut plus virium.

Lacon quidam senex interrogatus cur barbam gestaret syluosam ac promissam, Vt, inquit, intuens canos pilos nihil committam illis indignum. Vir bonus vndecunque

natur ſtimulos ad virtutem.

Alius cuidam laudibus immodicis efferenti bellatores optimos, Apud Troiam, inquit. Significans tales olim fuiſſe, ſed hoc genus hominum iam olim deſiſſe inueniri.

Alius quidam Lacon quum audiſſet quoſdam à cœna cogi ad bibendum, Num, inquit, coguntur etiam ad edendum? Notauit Græcorum morem in conuiuijs compellentium ad certum cyathorum modum, quum id revera nihilo abſurdius ſit, quam hominem qui nō eſuriat ad certum eſcarum modum compellere, niſi quod alterius abſurditatem eleuat conſuetudo.

Recitato quod ſcripſit Pindarus, Græciæ fulcimentum eſſe Athenas, Lacon dixit, ruituram Græciam ſi tali fultura niteretur. Taxauit Athenienſium mollitiem, quæ poetæ elogio non reſponderet, aut certe poetæ vanitatem, qui tali præconio celebraſſet indignos.

Quidam conſpecta tabula quæ picturam habebat quomodo Lacedæmonij trucidarentur ab Athenienſibus, dixit: fortes Athenienſes. Id Lacon audiens ſubiecit, In tabula: ſignificans ridiculum eſſe de pictura gloriari, quod ea non minus mentiri ſoleat quā poetæ.

Ad eum qui maledicta in alios per calumniã iactata solebat facile admittere, Lacon, Desine, inquit, aduersum me præbere aures. Sensit non solum eos vituperio dignos qui calumniarentur alios, verumetiam qui calumniantibus accommodarent aures. Et iniuriæ genus est, aduersus nihil male meritum audire maledicam linguam. Non enim essent maledici, si nullum inuenirent auscultatorem. Proinde Lacon expostulauit etiam cum illo, qui præbuerat aures de ipso male loquenti.

Quidam seruo qui dum puniretur dicebat, non volens erraui, Non volens igitur, inquit, pœnas dato. Vulgaris quidem, sed frigida excusatio est, insciens feci: vigilandum erat ne quid committeret imprudens.

Alius quum in peregrinatione vidisset homines in sellis curulibus sedentes, Absit, inquit, vt in talibus sedeam sellis, vnde non liceat assurgere seniori. In his enim sedebant delicati porrectis cruribus, ac cœlum imminens capiti prohibebat exurgere. Apud Lacedæmonios vero scelus erat, iuuenem non assurrexisse seni.

Chij quondam Spartæ peregrinantes à cœna vomuerant in Ephororum curia, dein etiam in ſedes,in quibus ſedere ſolent Ephori, ventris onus deiecerant. Ac primum quidem acris inquiſitio facta eſt,quinam hoc deſignaſſent, ne forte ciues eſſent. Vt vero compertum eſt fuiſſe Chios, edixerunt, ſe Chijs permittere vt agant intemperantius. Excellentium virorum eſt negligere c[illegible]ntumeliam,quæ à palam improbis proficiſcitur, à quibus etiam laudari turpe eſt.

Alius quidam Lacon quum duas amygdalas duras duplo vendi conſpiceret,Suntne hic,inquit, rari lapides? Quaſi nihil intereſſet inter ſilicem & duram amygdalam. Adeo Lacon deliciarum erat rudis, vt neſciret ſub gemino cortice latere nucleum. Et apparet hoc genus arboris non quibuslibet regionibus fuiſſe notum, quando Plinius dubitat an ætate Catonis fuerit in Italia.

Alius quum in luſcinia plumis reuulſis minimum reperiſſet carnium, Vox,inquit, tu es, præterea nihil. In eos dici poteſt,qui præter garrulam linguam ac magnifica verba nihil habent.

Alius quidam quum videret Diogenem cognomento canem in vehementi frigore ſtatuam æream amplectentem,rogauit num

alge

algeret: illo negante. Quid igitur, inquit Lacon, magni facis? Philosophus gloriæ mancipium hoc ipsum existimabat magnificum, quod sic haberet corpus ad omnes iniurias duratum, vt in rigore frigidæ statuæ complexum ferre posset absque dolore. Id Laconi nihilo pulchrius videbatur, quam si quis in æstate simile quippiam amplecteretur nullo suo incommodo.

Quidam Metapontinus Laconi obijcienti ignauiam. Atqui, inquit, non parum alienæ regionis possidemus. Ergo, inquit Lacon, no solum ignaui estis, verumetiam iniusti. Significans non posse fieri, vt quis meticulosus & imbellis multum teneat alienæ ditionis, nisi fraude partum.

Hospes quidam apud Lacedæmonios, quum ipsi stanti interim altero pede, crepida in alterum indueretur, dixit cuidam, Non arbitror te Lacon tantum temporis vni pedi posse insistere, quantum ego possum. Lacedæmonius excipiens, Fateor, inquit, attamen nullus est anserum qui istuc non possit. Iure derisit hominem, qui longo vsu didicisset artem quæ nihil vtilitatis adfert reipubl. Huiusmodi sunt artes præstigiatorum, funambulorum & similium.

Cuidam iactanti de arte rhetorica, At per geminos, inquit Lacon, ars nisi verum attigerit, nec est, nec vnquam erit. Notauit rhetores qui se profitentur verisimilia dicere licet vera non sint.

Argiuo quodam dicente, multa Spartanorum sepulchra apud nos sunt, Lacon excipiens, Atqui Argiuorum apud nos nullum est sepulchrum: innuens quod Spartani semper inuasissent Argos, Argiui vero Spartanos nunquam. Solerter Lacon quod ille dixerat in gentis suæ laudem, retorsit in ignominiam.

Lacon in bello captus cum sub hasta veniret, ac præco diceret, Laconem vendo, obturauit illi os, Captiuum, inquit, prædica te vendere. Suam conditionem æquo animo tulit, patriæ ignominiam ferre non potuit in auctione traducendæ.

Ex his militibus qui sub Lysimacho stipendium faciebant, quidam quum ab eo rogaretur, num esset quispiam ex Helotum, id est, seruorum Laconicorum numero, Tu ne, inquit, existimas Laconem ad te venturum, vt abs te ferat quatuor obulos? Maluit se fateri seruum, quam hoc probri admittere in nomen Lacedæmonicum.

Quum Thebani deuictis apud Leuctra Lacedæ-

cedæmonijs ad ipſum veniſſent Eurotam, & quidam gloriabundus dixiſſet, vbi nunc Lacones? Spartanus quidam ab illis captus, Non adſunt, inquit, alioqui vos huc non veniſſetis. Ne victus quidem & captiuus potuit abliuiſci indolis Laconicæ, nec tulit victoris iactantiam.

Athenienſibus quum tradita ciuitate poſtularent vt Samum tantum ipſis relinquerent, ita reſponderunt Lacones, Hoc tempore quo veſtri non eſtis, alios habere poſtulatis: vnde natum eſt prouerbium:

Qui ſemetipſum non habet, Samum petit.

Quum Lacones ciuitatem quandam armis cepiſſent, Ephori dixerunt, Periit iuuentutis luctamen. Non enim poſthac habebunt aduerſarios. Gaudebant quidem de victoria, ſed iuuenibus exercendæ virtutis materiam ereptam dolebant.

Quum Lacedæmoniorum rex polliceretur ſe funditus euerſurum alteram quandam ciuitatem, quæ ſæpenumero Lacedæmonijs exhibuerat negocium, non permiſerunt Ephori dicentes, Nequaquam abolebis neque ſubuertes iuuenum cotem. Vrbem infeſtam appellabant cotem iuuentutis, quod per eam iuuentus acueretur ad bellandi peritiam.

Lacedæmonij non præficiebant pædotribas qui pueros ad luctam exercerent, vt virtutis esset certamen, non artis. Vnde & Lysander interrogatus, quo pacto à Charonte victus esset, respondit, vario artificio. Non existimabat ea gens in quauis re speciosam esse victoriam, quæ callidis consilijs contigisset, potius quam animi corporisque robore. Ars autem omnis vt à naturali simplicitate recedit, ita dolo affinis est.

Philippo quum peruenisset in agros Lacedæmoniorum, scripsissetque vtrum vellent ipsum venire hostem an amicum, responderunt, Neutrum. Vnico verbo absoluerunt sententiam, quod erat Laconum, ac simpliciter negantes regi transitum, quod erat virorum fortium.

Lacones legatum quem ad Antigonum Demetrij filium miserant, quoniam acceperant quod Antigonum appellasset regem, mulctarunt, quamuis in annonæ penuria medimnum frumenti in singulos ab ipso reportaret. Tantus erat apud illos legum rigor, vt nec tanto beneficio subleuata inopia ab illis veniam impetraret, vt vnius voculæ gratiam facerent prospere legatione perfuncto.

Cum

Cum improbus quidam ſententiam dixiſſet optimam, ipſam quidem ſententiam approbarunt, ſed eo qui dixerat amoto, alteri cuidam inculpatis moribus eandem ſententiam tribuerunt. Adeo in republ. nihil honoris habendum putarunt his qui flagitioſe vixerent: autorem mutarũt, ne eſſet dedecori reipublicæ, conſilium non reiecerunt, ne ob priuatam ignominiam publicam vtilitatem neglexiſſe viderentur. Meminit huius & A. Gellius.

Cum duo fratres inter ſe diſſidium haberent, Lacedæmonij mulctam dixere patri, quod filiorum diſcordiam diſſimulaſſet. Iuuenibus ignoſcendum putarũt, ſed quicquid illi per calorem ætatis peccaſſent, parẽti imputabant, cuius autoritas prouidere debuerat, ne quid inter filios oriretur ſimultatis.

Cantori apud Spartanos peregrinanti dixere mulctam; quod cytharam digitis pulſaret non ebore. Adeo non patiebantur innouari publico vſu receptá. Hoc ſtudio cuidã alteri ex nouem chordis duas incidit Lacedæmonius ille.

Duo pueri inter ſe pugnabant, quorũ vnus alteri letale vulnus inflixit. Puerorum autem ſodales quũ ſaucius ille moriturus eſſet, polliciti ſunt illi vindictam, ſeque vulneris autorem

rem interfecturos. At ille, Nequaquam, inquit, per deos. Non enim æquum est, quandoquidem & ipse hoc facturus eram si anteuertissem, sique strennuus fuissem. Indolem vere Laconicam, qui victus ac moriens iusto tamen victori fauebat, quod virtute non dolo superasset aduersarium. Quid talibus ingenijs felicius, si à teneris ad veram virtutem fuissent instituta, potiusquam ad militarem duritiem?

Alter quidam puer eo tempore quo mos erat apud Spartanos, vt pueris ingenuis fas esset, quod quisque posset suffurari, sed hactenus vt deprehendi turpe esset: quum viuam vulpeculã quam sodales erant furati, sibi ab eis traditam seruaret, venissentque qui eam perdiderant inquirendi gratia, vulpeculam sub veste abditam tenebat. Ceterum quum efferata bestia latus pueri vsque ad intestina eroderet, dissimulauit tacitus ne proderet furtũ. Mox vero quum digressis illis pueri vidissent quod acciderat, obiurgabant illũm dicẽtes, præstiterat aperire vulpeculam, quam ad mortem vsque celare, Nequaquam, inquit, imo præstat doloribus immori, quam hac nota traduci, vt ob mollitiẽ dicar lucrifecisse vitam ignominiosam. Quid absolutius si tam feliciter natis ingenijs accessisset philosophia

Quum

Quum quidã forte fortuna obuij Laconibus dixissent, fortunati estis ô Lacones. nam modo hinc abiere latrones, Non nos, inquiunt, per Enyalium (sic enim illi Martem vocant) sed illi potius fortunati sunt, qui in nos non inciderint. adeo gens ea gerebat animos ad omnia impauidos quæ vulgus hominum formidat.

Lacon quidam interrogatus quid artis sciret, Liber, inquit, esse. Ea gens nec disciplinis philosophorum, nec opificijs exercebatur, tantum inuictis animis libertatem tuebatur, nec hominibus nec vitijs seruire docilis.

Puer Spartanus captus ab Antigono rege ac sub hasta venditus, in cæteris omnibus, quæcunque putabat ab ingenuo decenter fieri posse, obsequens erat ei qui ipsum fuerat mercatus: cæterum iussus adferre matulam, haud sustinuit dicens, non seruiam. At quũ instaret herus, puer conscenso tecto dixit, senties cuiusmodi mercatum fueris, mox- que sese è sublimi præcipitem dedit ac perijt. Captiuus esse poterat, seruilia facere non poterat, ac semet in libertatem morte asseruit.

Alter quum venderetur rogatus à licitatore, erisne frugi si fuero mercatus? Etiam si non fueris mercatus. Nec fortuna quidem seruilis docere potuit, illum seruilia loqui. Qui enim natura probus est, vbique & apud omnes probus est.

Alter quidam captiuus quum venderetur, ac præco diceret se mancipium vendere, Sceleste, inquit, non tu dices captiuum? Non puduit duræ conditionis, sed puduit tituli seruilis. Tantus erat libertatis amor.

Lacon quidam in clypeo pro insigni gerens muscam, eamque non maiorem vera: quibusdam irridentibus dicentibusque quod id studio fecisset quo lateret, Imo, inquit, vt sim conspicuus. Tam enim prope accedo ad hostes, vt ab ipsis insigne cuiusmodi sit videri possit. Salsissimum conuicium ignauiæ vertit in argumentum fortitudinis.

Lacedæmonius alter, quum super conuiuium esset illata lyra, Non est, inquit, Laconicum nugari, longe dissentiens à cæteris Græcis, quibus nullum conuiuium suaue videbatur absque musica. Id Laconi nugax videbatur, qui lautius existimabat honestis ac festiuis fabulis condire compotationē quam inani lyræ strepitu.

Spartanus interrogatus, num tutum esset ad Spartam iter, Refert, inquit, qualis eo descendas. Nam leones illuc euntes plorant, lepores autem in vmbraculis venamur: significauit nec ferocibus ac violentis esse tutum proficisci Spartam, nec mollibus & effeminatis: quod hostili animo illuc proficiscentes ma'e acciperentur à fortioribus, delicatos homines illic non sinerent lasciuire in tenebris.

In luctandi genere quod illi chirapsiam appellant, quum is qui collum alterius vrgebat frustra præterque legem palæstræ pulsaret vndique & in terram detraheret, posteaquam corporis viribus destitueretur qui inhærenti cedere cogebatur, brachium vrgentis momordit: cumque alter diceret, mordes, ô Lacon feminarum more, Non, inquit, sed more leonum. Vt solerter obiectam ignauiam detorsit in laudem fortitudinis. Nullum enim probrum apud illos detestabilius quam muliebris imbecillitatis. Iure autem semorsu liberauit, qui præter ius certaminis vrgebatur à victo.

Claudus ad bellum proficiscens quum ab alijs rideretur, Non opus est fugientibus, inquit, sed qui subsistant locumque in acie tueantur.

Alius ſagitta percuſſus cum animam ageret dicebat, Non me mouet quod morior, ſed partim quod ab imbelli ſagittario ac mulierculæ ſimili, partim quod nullo facinore ædito morior. Victis ſolet eſſe ſolatio, virtute præſtantis viri dextra cadere. Lacedæmonij vero quoniam enſibus pugnare ſolent cominus, non putabant eſſe virtutis procul miſſa ſagitta quempiam interficere, quod idẽ poſſunt & feminæ. Tum æquiore animo decedunt è vita, qui recte factorum poſt ſe relinquunt memoriam.

Quidam ingreſſus diuerſorium cauponi dedit obſonium vt appararet: quum ille poſceret caſeum & oleum, Quid, inquit Lacon, ſi caſeum haberem iam non egerem obſonio. Caupo caſeum & oleum petebat ad cōdiendum piſcem, at Lacon id videns cui ſufficiebat victus ſimplicitas, ſuperuacuũ exiſtimabat, cibum cibo miſcere, quum alter per ſe ſatis eſſe poſſet. Quantum abſunt ab huius Laconis animo, qui centum rerum ſpecies in vnum miſcent diſcum?

Cuidam Lampem Æginetam efferenti ac felicem prædicanti, quod prædiues videbatur, multorum nauigiorum dominus, Lacō, Nihil, inquit, moror felicitatem de funibus pendentem. Quum omnes diuitiæ ſunt in

manu fortunæ, tum eæ præcipue quas negociatores cõmisere nauibus raptis. n. funibus sequitur naufragium, & hinc mercium omnium interitus. Vnde philosophus quidam interrogatus, vtrum putaret maiorem esse numerum viuorum an mortuorum, vicissim rogauit vtro loco haberet nauigantes, quod hi versantes in summo vitæ discrimine vix essent habendi pro viuis.

Quidam Laconi dixit, Mentiris, ille contra, Nimirum, inquit, liberi sumus, alij vero nisi vera dixerint vapulant. Nihil commotus est Lacedæmonius, sed atrox conuicium elusit ioco, obiter taxans maledicum, quod ipse non esset Lacedæmonius, atque ob id nec liber. Porro serui si quid fallant mendacio, loris emendantur.

Alius quum vellet cadauer statuere rectũ, nec id posset efficere, quum nihil non fecisset, Per Iouem, inquit, aliquid intus sit oportet. Suspicatus est Lacon aut animam aut geniũ malum latere in cadauere. Solent enim cadauera in rogo erecta poni.

Tynnichus Thrasybuli filij mortem perquam forti animo tulit, in hunc hoc factum est epigramma:

Exanimis Pitanen clypeo Thrasybule redisti.

Septem

Septem ex Argiuis vulnera sæua gerens,
Aduersa ostendis tamen omnia, sanguinolenta
Membra rogo imponens Tynnichus hæc senior.
Plorentur timidi; mî inflętus humabere fili.
Qui & patre hoc vere dignus es & patria.

Quum Alcibiadi Atheniensi balneator plurimum administraret aquæ, Lacon id vidẽs, Quid hoc rei est, inquit? Plus aquæ infundis, quasi non puro, sed vehementer sordido. Hoc scommate notauit Alcibiadis vitã multa infamia contaminatam.

Philippo regi Macedonum quædam per litteras imperanti rescripserunt Lacedæmonij: De quibus nobis scripsisti, Non. Ad prolixam regis epistolam vnica syllaba responderunt, quam grandibus litteris pinxerant, vt expleret iustum epistolæ spatium, simul & gentilis breuiloquentiæ memores, & solitæ fortitudinis.

Rursum quum Philippus in agros Lacedæmoniorum duxisset exercitum, resque in eo esset statu, vt probabile esset eos ad vnum omnes interituros, rex dixit cuidam Spartiatæ, Quid nunc facietis Lacedæmonij. At ille, Quid, inquit, aliud, nisi quod fortiter moriemur, quando nos soli Græcorum liberi esse,

non

non alijs parere didicimus. Nemo seruire cogitur qui mori paratus est. Quam dulce bonū est libertas quæ morte emitur; quam misera res seruitus cui mors anteponitur? Quid igitur mentis dicemus his esse, qui se sponte dedunt in eam seruitutem, vnde nec dato peculio possunt redimi, nec gratuita manumissione liberari?

Post Agin bello superatum Antipatro postulanti obsides pueros quinquaginta, Eteocles qui tum Ephorum agebat, respondit, Se pueros non daturum, ne si licenter vixissent, fierent indociles patriæ disciplinæ, itaque ne ciues quidem essent: cæterum senes ac mulieres se duplo numero daturum. Verum Antipatro dira minitanti ni acciperet postulata, populus vna voce respondit: Si imperas acerbiora morte, facilius moriemur. Hanc animum in vno alterove ciuium reperire, fortasse non ita magni miraculi esse videatur, in vniuerso populo tantum esse consensum, prodigiosum est. Hoc exemplo simul admonemur, quanta solicitudo debeatur ætati teneræ ad probitatem educandæ, quando licēter educatos iuuenes illi non putarunt habendos pro ciuibus, perinde quasi mater abdicet filium ex se natum, nisi probitate morū maioribus suis respondeat.

Senex

Senex in Olympijs cupidus erat spectandi certaminis quod agebatur, sed quum nulla vacaret sedes, ad varia loca sese conferens, ludibrio erat ac scommatis petebatur, quod nullus eum exciperet: vt vero peruenit ad Lacedæmonios, non solum pueri omnes assurrexerunt, verum etiam viri multi cesserūt illi locum. Id factum quum cæteri Græci quotquot aderant plausu comprobassent, patriumque morem supra modum collaudassent, Senex,

Concutiens canasque genas & tempora cana,

Ac fusis lachrymis, Heu miseriam, inquit, vt omnes Græci norunt quid sit honestum, sed eo soli vtuntur Lacedæmonij.

Sunt qui narrent hoc idem accidisse Athenis. Quum enim agerentur Panathenæa, Attici senem ludibrio habuerunt, inuitantes tāquam admissuri, cæterum vbi venisset non admittentes. Verum iam perambulatis fere omnibus, tandem ad Lacedæmonios spectatores quum venisset, omnes è sedilibus assurgentes locum illi cesserunt. Eo facto delectatus populus plausu multaque gestuum significatione comprobauit. Inter hæc è Spartanis quidam dixit, Per geminos, norunt Athenienses quæ sint honesta, at non faciunt. Apud A-

thenienſes maxime florebat philoſophia, quæ docet, quid turpe, quid honeſtum: Spartani non recipiebant eiuſmodi diſciplinas, ſed ex inſtitutione maiorum, virtutem factis & moribus præſtabant. Ita factum eſt vt apud Athenienſes eſſent verba philoſophiæ, apud Lacones ipſa res. Admonet apophtegma, turpiſſimum eſſe ſcire quid deceat, & tamen diuerſa ſequi.

Mendicus quidam petijt aliquid à Lacone: at ille, Si quid, inquit, dedero magis es futurus mendicus. Verum iſtius probroſæ vitæ tuæ fuit autor qui tibi primus dedit, teque fecit inertem. Apud Lacedæmonios probro dabatur mendicitas, quod & ocium odiſſent, & minimo eſſent contenti. Benignitas autem in mendicos ſpeciem habet magnæ virtutis, ſed ea piorum hominum bonitas alit plurimorum malorum luxurioſam ignauiam.

Lacedæmonius videns quendam dijs corrogantem, Nihil, inquit, moror deos qui me ſint pauperiores. Hinc liquet, vetus eſſe ſub obtentu religionis exercere mendicitatem, quum plerumque tali collecta titulo, non impendantur diuis, qui nullius rei ſunt egeni, ſed improborum luxui ac libidini.

Alius quidam quum adulterum apud de-

formem

formem vxorem deprehendisset, Miser, inquit, quæ tibi fuit necessitas? Primum hic æditum est nobis moderationis exemplum. Quis sibi temperet in adulterum deprehensum? Hic potius videtur misertus hominis, qui graui quapiam necessitate videretur huc compulsus, vt cum deformi rem haberet. Neque enim verisimile erat adulterum voluptatis gratia sese in hoc discrimen coniecisse.

Alius quum audiret rhetorem magnos sermonis circuitus connectentem, Per geminos, inquit, fortis sane homo, qui quum nullum habeat argumentum, tamen egregie voluit linguam. Lacedæmonijs nulla placebat oratio nisi breuis & vera, & ad rem seriã pertinens. Proinde ridiculum existimabat, quod orator in ficto themate tantam verborum copiam profunderet.

Quidam profectus in Lacedæmonem, quũ vidisset honorem quem iuniores præstant senioribus, In sola, inquit, Sparta expedit senescere. Paupertas onus est & miserum, & graue, vt ait Comicus: sed in hac molestiarũ maxima pars est, quod homines facit etiam ridiculos, vt ait Satyricus. Sic inter incommoda quæ fert ætas ingrauescens, non minima pars est, quod senes fere contemptui sunt

ac

ac ludibrio. Proinde Sparta visa est multis honestissimum virtutis domicilium.

Lacedæmonius percontanti quid ipsi videretur Tyrtæus poeta, Bonus, inquit, ad deprauandos iuuenum animos. Quemadmodũ Plato iudicabat Homeri poesim inutilem esse Reipubl. qualem institui volebat, ita Lacedæmonij non recipiebant poetas qui blanda scriberent potius quam salubria.

Cuidam qui laborans ab oculis exierat in bellum, quum nonnulli dicerent, quo vadis ad istum affectus modum, aut quid facturus? Vt nihil, inquit, aliud, certe hostis gladium hebetabo. Hoc dictum salsiusne sit an fortius, nondum statui.

Buris & Spartis Lacedæmonij sponte profecti sunt ad Xerxen regem Persarum, daturi pœnas quas Lacedæmonij iuxta oraculũ pendere debebant, eo quod oratores à Persa missos occidissent. Hi quum venissent ad Xerxen, iusserunt vt ipsos quocunque modo videretur interficeret pro Lacedæmonijs. Cumque rex admiratus & pietatem in patriã & animorum fortitudinem, liberasset illos à pœna, peteretque vt apud se manerent: Qui possumus, inquiunt, hic viuere relicta patria patrijsque legibus ac viris, quorum gratia tantum iter suscepirimus morituri?

Cæterum quum Indarnus exercitus regij dux, rogans instaret diceretque, fore vt in pari honore haberentur cum his qui inter regis amicos primas tenebant, huncin modũ responderunt, Videre nobis ignorare quam ingens bonum sit libertas, quam nemo sanus vel cum Persarum regno commutarit. In eodem facto nobis propositum est exemplũ pietatis erga patriam, & constanter adamatæ libertatis, & animi mortis terrore vacui. Cæterum Herodotus libro septimo hos duos appellat, Sperthien & Bulin.

Laconem hospes quem pridie declinauerat, postridie stragulis commodato sumptis splendide excepit: at ille stragulis conculcatis dixit, Propter has heri ne storijs quidem indormire licuit. Lepide risit illorum morem, qui quum sint tenues, tamen affectant videri diuites, corrogata aut conducta supellectile, quod maxime solent in excipiendis hospitibus, in nuptijs, aut alioqui solennibus epulis. Porro quum ineptum sit ostentare tuas diuitias: quanto magis ridiculum est ostentare supellectilem alienam, interdum ab vsurarijs sumptam? At Lacedæmonij non solum oratores regum, verum ipsos etiam reges ad sua Phiditia inuitabant, eam frugalitatem sibi

bi magno etiam honori futuram existimantes.

Alius quidam quum venisset Athenas, vidissetque illic præcones qui muriam promitterent, qui obsonium, qui publicanos, & lenones, aliasque parum honestas functiones profiterentur, neque quicquam sibi turpe ducerent: vbi reuersus est in patriam, ciuibus percontantibus quomodo se res haberent Athenis? Omnia, inquit, honesta: per ironiã innuens Athenis omnia haberi honesta, turpe nihil. Argutia dicti est in ambiguo sermonis.

Alter interrogatus de re quapiam, respondit, Non. Verum vbi percontator dixisset illum mentiri, Non vides igitur, inquit Lacõ, te stultum esse, qui scisciteris de his quæ noueris? Salse taxauit in illo vitium garrulitatis, qui de nihilo quæsi erit fabulandi materiam.

Venerunt aliquando Lacedæmonij ad Lygdamin tyrannum legatione fungentes; sed quum ille varijs causationibus frequenter distulisset colloquendi copiam, tandem post omnes excusationes dictum est, illum parũ firma esse valetudine, sed languere nonnihil. Legati responderunt, Per Iouem non venimus huc cum illo luctaturi,

ſed colloquuturi. Belle taxarunt barbari regis faſtum ac delicias, qui quamuis friuola de cauſa res ſerias omitteret.

Quidam ſacris initiaturus, Laconem rogauit quid ſibi conſcitet maxime impie factum per omnem vitam? At ille hoc, inquit, dij ſciunt. Quum initiator magis vrgeret, diceretque, omnino proferas neceſſe eſt, Lacō viciſſim rogauit, Vtrum, inquiens, oportet me tibi dicere an Deo? quum ille reſpondiſſet Deo, Tu ergo, inquit, hinc ſecede, vt illi dicam.

Alius Lacon quidam noctu præteriens monumentum, quum ſibi viſus eſſet videre ſpectrum, accurrit lancea traiecturus, & in hoc nitens, Quo me fugis, inquit, anima bis moritura? O mentem vere liberā omni formidine, quæ nec laruarum aut lemurum occurſu terreri potuerit.

Lacon alius quum voto ſe obſtrinxiſſet, quod ſe de *Leucate* præcipitem daret, conſcendit montem, & conſpecta altitudine, ſeſe auertit. Id quum illi probri gratia obiiceretur, Non putarā, inquit, illi voto maiore voto opus eſſe. Ioco eluſit inconſtantiæ formidiniſque crimen. Etenim qui facinus arduū concipit animo, prius à dijs optare debet animum facinori parem.

Quidam

Quidam in acie quum strictum iam ensem in hostem esset infixurus, quoniam interim signum datum est receptui canens, nō infixit. Roganti vero cuidam cur hostem quem in potestate habebat non occidisset. Quoniam, inquit, melius est parere imperatori quam hostem occidere. Exemplum disciplinæ militaris, à qua immane quantum recesserunt, qui sub belli titulo mera exercent latrocinia. Olim non licebat ferire hostem nisi tuba dedisset signum: eadem simul atque cecinerat receptui, homicidij crimen erat hostem interemisse.

Quidam Laconi in Olympico certamine superato dixit, Aduersarius tuus ò Lacon te fuit potentior. Imo, inquit, ad deijciēdum accommodatior. Quoniam certamen artis erat magis quam virtutis, Lacedæmonius nō putabat se ob id deteriorem quod victus esset. Dicti argutia sita est in ancipiti voce: nam κρείσσων, & meliorem significat & potētiorem, siue superiorem aut præstantiorem: Is vere inferior est, qui honesto vincitur.

Ætoli quondam ingressi regionem Laconicam abduxerunt quinquaginta seruorum millia: vnde Lacon quispiam senior festiuiter dixisse fertur, Magno bono fuerunt hostes Laconicæ, quam tanta turba leuarunt.

Mos erat apud Lacedæmonios vt rex hostes aggrederetur, præcedente quopiam gestante coronam, qui in certamine victor aliquando tulisset coronam. Quum igitur Lacō quidam in Olympijs magnam pecuniæ vim respuisset, sed multo cum sudore deiecto aduersariq. coronam tulisset, cuidam dicenti, quid emolumenti tibi adfert victoria ô Lacō? Ille ridens & alacer respondit, Ante regem, inquit, coronatus incedens pugnabo cū hostibus. Generosæ mentis est, laudis honore teneri potius quam pecuniæ.

Miles quidam Lacedæmonius quum prostrato hostis insideret tergo occisurus, rogauit vt se verteret, & in pectus potius stringeret ensem; rogatus quid ita, Ne amasius, inquit, meus erubescat, si viderit auersis confossum vulneribus.

Lacon quidam ad Rhodium Diagoram, qui in Olympijs & filios, & ex filio filiaq; nepotes vidisset coronari, Morere, inquit, Diagora, non in Olympū ascendes: sentiens tum optimum exire de vita, quum res sunt prosperrimæ. Ita Plutarchus in Vitis. Meminit & Cicero in Tusculanis quæstionibus, libro primo. Lepos est in ambiguo: nam Olympus mons est, in quo singulis lustris peragebantur Olympica certamina, & pro cœlo accipitur.

pitur.

Lacon quidam pædagogus pueri cura suscepta quum interrogaretur, quid esset illum docturus, Efficiam, inquit, vt honestis delectetur, turpibus offendatur. Nihil efficacius ad veram felicitatē, quam amare virtutē propter se, odisse vitium propter se.

Spartanus quidam interrogatus, quid conferrent vtilitatis pueris adhibiti pædagogi, Efficiunt, inquit, vt quæ sunt honesta, eadem pueris fiant etiam iucunda.

Agesilaus dicebat, sibi iucundum esse laudari ab his, qui non vererentur & vituperare si quid displicuisset. Tales enim si quid laudant, iudicio laudant, non metu aut adulatione.

Demonides amissis furto crepidis, precatus est vt eius qui sustulerat pedibus conuenirēt. Visus est bene precari, quum illi magnum precaretur malum, videlicet pedes distortos, quales habebat Demonides.

Lacedæmonij cum Smyrnæis egentibus commeatum misissent, atque illi beneficium verbis extollerent, Lacedæmonij sermonem interrumpentes, Nil magni est, inquiunt. Hæc enim collegimus vnius diei prandio nobis & iumentis detracto. Gratius est beneficium quod extenuatur.

ab eo qui confert. Nam qui quod largiuntur exaggerant (qui plerisque mos est) bonã gratiæ partem amittunt.

Lacydes Arcesilai familiaris, Cephisicrati crimen læsæ maiestatis deprecanti, vna cum reliquis amicis aderat. At quum accusator annulum exhiberi flagitaret, per quem coargui poterat: isque clam in terram demisisset, Lacydes sentiens pede imposito texit. Inficiatus est igitur Cephisicrates & absolutus. Mox reo iudicibus, vt mos est, agenti gratias, quidam è iudicum numero qui viderat, iussit vt Lacydi quoque gratias ageret.

Arcesilaus quum arderet p dagræ doloribus, eumque Carneades inuisisset, atque exiret tristis, Mane, inquit, Carneade, nihil enim illinc huc peruenit, ostensis pedibus & pectore: sentiens pedes quidem dolere, sed animum dolore vacuum esse.

Pædaretus cuidam dicenti magnum esse numerum hostium, Tanto, inquit, plus gloriæ referemus, quoniã plures interficiemus. Quod alter adferebat ad persuadendam ignauiam, ille vertit in calcar fortius agendi. Eodem telo repelli possunt quicumque difficultatis causatione dehortantur ab honesto.

Idem conspecto quodam qui natura mollis, tamen ob humanitatem laudabatur à ciuibus;

uibus,dixit, Nec viros qui mulierum similes sint oportere laudare,nec mulieres quæ virorum sint similes,nisi si quam mulierem vrgeat necessitas.Sensit aliud decere bonum viru, aliud bonam mulierem: ac pro muliere in virum transfigurata accipit necessitatis excusationem,in viro degenerante in mulierem, nullam recipit excusationem. Ita non eadem laus decora principi est quæ plebeio,non eadem magistratui quæ priuato.

Quum in trecentorum virorum ordinem non esset adscriptus,qui honos apud Spartanos primam dignitatem obtinebat,repulsus discessit hilaris ac ridens: reuocantibus autē Ephoris, quidque rideret percontantibus, Gratulor,inquit,huic Reipublicæ,quæ trecētos habeat ciues multo me meliores. Quid hoc pectore magis philosophicum?Nec moleste tulit repulsam, nec questus est de Ephorum iudicio,sed plus voluptatis capiebat ex publico Reipub bono,quam sensurus erat ex honore impetrato.

Plistarchus Leonidæ filius cuidam interroganti,quam ob causam reges Lacedæmoniorum non à priscis regibus cognomen sortirentur,Quoniam,inquit, illi ducere quam regnare maluerunt, posteriores illi nequaquam.Primus omnium regum Lacedæmo-

niorum Agis dictus est,& hoc nomen in aliquot posteriores deriuauit. Agis autem dictum est à ducendo,quoniam clementer imperabant, & regum est imperare potius quam persuadere. Plistarchus autem sonat, plurimis imperantem.

Quum patronus quidam ridicula loqueretur in causa, Plistarchus interpellans illum dixit,Nō tu cauebis amice perpetuo risu digna dicere,ne quemadmodū qui assiduo palæstricam exercent palestritæ fiunt, ita tu fias ridiculus? Sensit vir egregius, raris lapsibus dandam esse veniam, cæterum quum error transit in habitum & consuetudinem, fit immedicabilis. Expedit autem hac Plistarchi interpellatione amicos crebrius peccantes reuocare;ne peccandi colligant vsum, & vitium transeat in naturam.

Cuidam referenti ipsum à maledico quodam laudari,Demiror,inquit,si quis illi dixit me mortuum esse. Nam ille de viuo bene loqui possit nemine. Non delectatus est vir generosus laude,quæ à viro illaudato proficiscebatur.

Plistonax Pausaniæ filius quum rhetor quidam Atticus Lacedæmonios dixisset indoctos,Nos enim,inquit, Græcorum soli nihil à vobis didicimus mali. Lacedæmonij malum.

malum existimabant, quicquid non faceret ad efficiendam ciuitatem meliorem.

Polydorus Alcamenis filius, in eum qui non cessabat minitari hostibus, Non intelligis, inquit, te maximam vindictæ partem frustra consumere? Qui statuit inimicum vlcisci, minis nihil aliud efficit nisi vt præmonito inimico sibi minuat lædendi facultatem. Fortium autem virorum est, male facere ijs qui malo digni sunt, non male dicere.

Cum in Messenensium regionem eduxisset copias, roganti cuipiam, num aduersus fratres essent pugnaturi, Non, inquit sed in eā agrorum partem proficiscimur, quæ nondū sortito diuisa est. Elusit percontatorem, dissimulans consilium suum. Sit hoc quoque exemplum celandi propositum, si quem cupias lædere.

Cum Argiui post illam trecentorum pugnam rursus essent prælio superati, socij Polydorum adhortabantur, ne eam opportunitatem præteriret, sed aggressus hostium muros ciuitatem illorum caperet. Id enim factu fore facilimum, quum interfectis viris solæ mulieres essent reliquæ. His in hunc respondit modum, Mihi pari Martis alea rebellantes deuincere honestum est. Cæterum quum pro agris pugnarim, vrbem velle capere

non

non arbitror esse iustum. Siquidem huc veni agros recepturus, non vrbem occupaturus. Vir excellentis animi ne cum hostibus quidem putauit agendum secus quam postulabat æquitas, quum hominum vulgus putet in hostem licere omnia, in tantum vt si de frigido oppidulo fuerit concertatio, victor existimet sibi ius esse, regnum vniuersum victi occupare. Ille etiam turpe sibi iudicabat bellare cum his quibus deerant paria ad bellum præsidia. Talis enim victoria nullam habet virtutis laudem, sed crudelitatis crimen.

Percontanti quid esset in causa quod Spartani in bello fortiter sese periculis obijcerēt, Quoniam, inquit, duces reuereri didicerunt potius quam timere. Reuerentia cum amore coniuncta est, metuimus autem illos maxime quos odimus. Rectius autem suo fungitur officio, qui ex animo facit, quam qui metu mali.

Epidor-
pidum